EXCURSUS CRITICUS IN P. PAPINII STATII SILVAS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS
DIE XXI. M. FEBRUARII A. MDCCCLXXXV HORA XI.
IN AULA MINORE
PUBLICE DEFENDET

GUILELMUS WALLER
MIECHOWITZENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

THEODORUS HEIDLER, DR. PHIL.
JOANNES WOTKE, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS GRASSI, BARTHI ET SOC. (W. FRIEDRICH).

ILLUSTRISSIMO, GENEROSO, SUMME VENERANDO

DOMINO

HUBERTO DE TIELE-WINCKLER

COLONELLO MERITISSIMO

EQUITI SUMMORUM ORDINUM INSIGNIBUS ORNATO

DOMINO IN MIECHOWITZ ETC. ETC.

FAUTORI MUNIFICENTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

DEDICATAS ESSE VULT

AUCTOR.

In Statii Silvarum locorum numero eorum, quibus emendandis in hoc meo excursu critico operam navavi, praeter tales, quos corruptos nec satis sanatos esse apparet, inveniuntur nonnulli, tum qui (id quod in Statii Silvis est rarissimum) neque in codicibus variantur neque adhuc usque doctorum virorum suspicionem moverunt, tum qui ab editoribus interpretibusque timidis nimisque cautis aut poetae qualicunque interpretandi ratione vindicati aut in verborum seriem revocati sunt. Quos licet et ipse quoque quodam modo explicari posse fatear, tamen viris artem criticam factitantibus neque hac in re plane acquiescendum neque speciem quandam probabilitatis laudandam esse iudico, praesertim si traditae lectionis asperitas duritiaque nos offendant et poetae usus dicendi observatus singulorumque locorum similitudo perspicua emendationem eamque facillimam nobis obtrudant. Quanquam interpretum illorum, qui eiusmodi locos, qui in Silvis sunt permulti, ad carminum faciendorum nimiam poetae festinationem quam ad librariorum errores potius referendos minimeque mutandos esse censent, sententiam et ego comprobarem meamque Silvarum critice tractandarum normam facerem, si manifestum certumque esset omnes Statii eclogas hac componendi importuna celeritate aeque laborare, et si unum saltem bonum codicem vel archetypum illum Poggianum fortuna nobis concessisset. Sed cum omnes deinceps eclogae neque minimum eae, quas, velut *Epicedium in patrem suum* (V c. 3.), a Statio diu diligenterque elaboratas esse constat, foedissimis librariorum erroribus sint depravatae atque libri manu scripti, qui Silvas nobis tradiderunt, non

longius quam ad saeculum XV referant originem et mirabilibus corruptelis vitiisque redundent, vereor ne memoria codicum nimis anxie retenta in contrarium convertamur vitium, ut poetae ingenii elegantiaeque quidquam detrahamus aut versuum ex tempore componendorum facultati et exercitationi bona fide obtrectemus. Quam Silvarum perlustrandarum viam, qua Statii memoriae plerumque facilibus litterarum mutationibus quam artificiosis contortisque interpretationibus potius consulendum esse censeo, eo minus inire dubitavi, quod virorum doctorum, qui post Silvas a Baehrensio editas huius ipsius editoris emendandi licentia inconstantiaque tanquam stimulati, ut Grasberger, O. Mueller, Polster, Koestlin, alii, Silvarum difficultates plurimas coniecturis expedire studuerunt, labores prorsus irritos fuisse, vix quisquam contendet.

I 1, 28.

V. 25: ‚Discitur e vultu, quantum tu mitior armis,
Qui nec in externos facilis saevire furores
Das Cattis Dacisque fidem. te signa ferente
Et minor in leges iret gener et Cato castris.'

De iis, qui, velut Barthius et Wernsdorfius approbante Queckio, interpretantur, verba ‚in leges ire castris' idem significare atque ‚ultro castris decedere, bellum deponere et in leges, in condiciones pacis a Domitiano oblatas concedere', qua interpretatione vocis ‚castris' difficultatem sustulisse sibi videntur, verba faciam nulla, cum Baehrensius[1]) hanc setentiam feliciter redarguerit.

Neque ad traditam scripturam defendendam ullius momenti esse censeo allitterationem, quam vocant, verborum ‚Cattis Cato castris', cui Koestlinius[2]) plus aequo

---

[1]) Mus. Rhen. vol. XXVIII p. 252.
[2]) Philol. vol. XXXV (1876) p. 501.

indulget; immo hac re nostro quidem loco erroris suspicio mea augetur.

Normam vero corruptelae, quae in voce ,castris' latet, expediendae verissimam posuit Marklandus, qui loci sententiam his comprehendit: ,Caesar in externa bella facile impellebatur; tu contra das pacem Cattis Dacisque: etiam in civilia et domestica cum Pompeio et Catone ille prolapsus; quae si tu gessisses, ultro illi tibi et tuis legibus se submisissent. Deest igitur τῷ ,leges' epitheton, quod mitem Domitianum praedicet. In hoc enim totus hic Statii versatur locus, ut probet, quantum mitior armis Caesare Domitianus.' Attamen hoc postulatum suum ut coniectura ,iustas' a Cruceo olim prolata expleret, viro sagacissimo non magis quam aliis contigit medelas multo deteriores proponentibus, velut Dan. Heinsio ,nostras', Bursiano ,castas', Hopfio ,in leges iuret gener et Cato castas' vel ,cedat', Schradero[1] ,castra', Baehrensio ,pacis', Grasbergero[2] ,tristis', O. Muellero[3] ,Cattis' conicientibus.

Longum est singulas has coniecturas refellere; id unum tamen mihi paucis perstringere liceat, quam male Muellero emendatio successerit. Nam ut de molesto vocum ,et Cato Cattis' sono taceam, versu superiore ipso Catti sunt absoluti, quos proximo versu in comparationem revocare adeo nihil cogit, ut superbia tumorque Romanorum prorsus prohibeant, quippe qui tales fuerint, ut celeberrimos rei publicae viros et imperatores externo hoste abiecto inferiores dici nequaquam pati possent. Neque solitudo comparativi, minor' virum doctissimum sollicitare debebat, cum ablativus comparativus, quem desiderat, ex verbis ,te signa ferente' sit repetendus, quo facto comparatio quoque ipsa multo dignior reique magis accommodata nascitur, cum partes bellantes ipsae inter se componantur.

[1]) M. Hauptii Opusc. III p. 131.
[2]) Fleckeiseni ann. v. CXV p. 419.
[3]) Electa Statiana, p. 10. Berol. 1882.

Atque ne nomini ,Cato' quidem, sicut Bursianus et Grasbergerus maluerunt, ut ,Cato' pariter ac ,gener minor' attributo ornaretur, sed voci ,leges' epitheton deberi etiam verborum collocatione Statii politorumque eiusdem aetatis poetarum propria monemur, qua substantivum et adiectivum in principio et fine versus vel enunciati posita artificiose reliqua verba complectuntur, ut versus re vera sit teres atque rotundus sententiaque in se redeat; cf exempli gratia vv: 1, 5, 11, 20, 21, 26, 30, 59, 60, innumeros alios. Accedit denique, quod adiectivum ,minor', cum loco nostro non attributiva, sed praedicativa vice manifesto fungatur, non epitheti cuiusdam nomine Catoni generove soli tribuendum, sed cum elocutione ,in leges iret' artissime coniunctum ad Pompeium Catonemque aequo modo est referendum.

Tot tantisque doctorum virorum erroribus patefactis restat, ut quae sit mea loci emendandi ratio prodam. Equidem voce **,dextras'** restituta mitem Domitiani mentem clarissime aptissimeque elucere Juliique Caesaris severitati commodissime opponi persuasum habeo. Coniecturae enim meae imprimis Silvarum locus favet, ubi eadem Domitiani virtus his praedicatur III 4, 73 seqq:

,Nondum pulchra ducis clementia coeperat ortu
Intactos servare mares; nunc frangere sexum
Atque hominem mutare nefas; gavisaque sanos
Quos genuit natura videt, nec lege sinistra
Ferre timent famulae natorum pondera matres.'

V. 1, 144. . . . ,quid enim quamvis infida levisque
Caesare tam dextro posset Fortuna timeri?'

I 2, 211; V 1, 13 et 71; Theb. III 454 ,dexter Apollo'; Ov. Fast. I 67 et 69. A. am. II 145:

,Dextera praecipue capit indulgentia mentes:
Asperitas odium saevaque verba movent.'

Catull. 45, 8—9; Verg. Aen. X 773.

I 2, 60.

V. 59: ‚Fessa iacet stratis, ubi quondam conscia culpae
Lemnia deprenso repserunt vincula lecto.'

Vox ‚lecto' sine dubio corruptela laborat, nam et per se nihili est ad sententiam et propter superius verbum ‚stratis' plane otiosa atque molesta. Coniecturae vero prólatae, ut Crucei ‚furto', Jacobsii ‚moecho', et audaciae reprehensione premuntur nec verum sensum assequi posse videntur, quo, cum non adulter solus, sed ambo amantes deprehensi catenisque copulati sint, generalis quaedam illius coniunctionis significatio desideratur. Itaque ne Handii quidem coniectura ‚deprensae' scribentis et cum voce ‚culpae' coniungentis, licet sit facillima, mihi arridet. Ex numeris enim Statianis componendique ratione certus sum participium ‚deprenso' ad vocem ‚lecto' sive ad eam, quae in illius locum successura est, referendum esse, nam mirum quantum Jacobsii coniectura probata ‚lectoque' nude posito languor loci traditi augetur.

Veneris autem Martisque coniunctionis illius famosae significationem nomenque simul honestum ab Handio iure desideratum assequemur voce **‚coetu'**, quam legimus Theb. IV 214:

. . . . ‚quam dispare coetu
Cyllarus ignaro generarat Castore prolem etc.'

Macrob. Sat. II 2 (vel Gell. XIX 11):

‚Tum si morae quid plusculae
Fuisset in coetu osculi.'

Auson. Epigr. 71, 1:

‚Praeter legitimi genitalia foedera coetus
Repperit obscoenas Veneres vitiosa libido;'

ibid. 108, 13 ‚Desectos sic fama viros, ubi cassa libido Femineos coetus et non sua bella lacessit;' ibid. Ephem. ultimae v. 11. Arnob. V 43 ‚Esto in Jovis et Cereris coetu irrigatio sit significata telluris.' Lucret. II 918 et III 857.

I 2, 223.

V. 222. ‚Huic Lycii montes gelidaeque umbracula Thymbrae
Et Parnasis honos: illi Pangaea resultant
Ismaraque et quondam genialis litora Naxi.'

Mendum, quod in verbis ‚Parnasis (ed. pr. Parnasus) honos' latet, Dan. Heinsius coniectura sua: ‚Et, Parnasse, sonas,' quae plurimis Silvarum editoribus arrisit, tollere studuit. At Handius iure opposuit, apostrophe tali omnem orationis aequalitatem turbari vel potius removeri. Itaque ei Hopfii et Weicherti coniectura ‚Et Parnassus ovant,' quam rursus Grasbergerus protulit, probabilior videbatur. Nihilominus Handius ipse non aliud quoddam verbum desiderari ratus, sed ‚nomen causae', quapropter montes resultavissent, Statium ita scripsisse suspicatur: ‚Et Parnassus honore, illi Pangaea resultant.'

Sed nec verbum ullum nec causae nomen loco nostro convenit, immo substantivum, quod montibus et umbraculis versus superioris respondeat. Itaque restituendum propono:

‚Et Parnassia **nox**, illi Pangaea resultant;'

‚nox' enim figurate est dicta pro silvae umbra saltuumque tenebris, sicut apud Val. Flacc: Argon. I 774 legimus ‚Veteris sub nocte cupressi.' Cf. Ovid. Met. I 467: ‚Impiger umbrosa Parnassi constitit arce.'

I 2, 235.

V. 234. ‚Omnis plebeio teritur praetexta tumultu:
Hinc eques, hinc iuvenum questus stola mixta laborat.'

Jure unusquisque in voce ‚questus' in qua codices melioris sortis et editio princeps consentiunt, offendit. Bernartius autem erat primus, qui forma ‚coetu' substituta depravationem manifestam sustulit; quocum postea Marklandus ita fecit, ut v. 235 hunc in modum legeret

et distingueret: ‚Hic eques, hic iuvenum coetus: stola mixta laborat.' Baehrensius vero infelicissime mihi rem videtur gessisse, cum vv. 234 et 235 hanc in formam redegit:

‚Omnis plebeio teritur praetexta tumultu
Hinc, eques hinc; iuvenumque arto stola mixta laborat.'

Grasbergerus denique Bernartii corruptelae sanandae rationem voce ‚cinctu' proposita variavit.[1])

Quarum coniecturarum cum alia alios moveat scrupulos, medelam de meo proferre non dubitavi, quae turbae urgenti fortasse magis conveniat. Voce enim ‚accessu' restituta punctoque post verbum ‚tumultu' servato versum 235 ita concipio:

‚Hinc eques, hinc iuvenum accessu stola mixta laborat.'

Huic emendationi, quae litterarum similitudine commendatur, favent etiam loci nonnulli Statiani, velut II 1, 196:

. . . . ‚Timide primum vestigia iungit
Accessu tacito summosque lacessit amictus;'

Cf. praeterea V 1, 19; Theb. XII 153 et 438. Ovid. Met. XIV 635:

‚Vim tamen agrestum metuens pomaria claudit
Intus et accessus prohibet refugitque viriles.'

Ovid. Art. am. I 352; Verg. Aen. III 570; Lucan. III 425. Cic. Mil. 19, 52.

I 3, 16.

V. 15: ‚Ingenium quam mite solo! quae forma beatis
Arte manus artemque locis! non largius usquam
Indulsit natura sibi.'

Libri Sangallensis apographum et ed. pr. in corruptela ‚artemque' consentiunt, cum ed. Parm. exhibeat ‚antiqua', novicii autem codices doctorum Italorum coniecturis infecti ‚concessa'; quae scriptura a Domitio primum (ed. Rom.) edita, licet vix alia qualibet magis redoleat con-

---

[1]) L. c. p. 769.

iecturam ad arbitrium factam, deficiente meliore in omnia deinceps exemplaria est propagata, excepto Baehrensii novissimo, quod ex ipsius viri docti coniectura ,facieque' praebet. Huic autem commento patronus profecto exsistet nullus; namque cum verbis: ,quae forma beatis Arte manus locis' loci amoenitatem opera arteque hominum auctam significari et deliciis natura ipsa oblatis (quas quidem ea, quae sequuntur: ,non largius usquam Indulsit natura sibi', innuunt) opponi liqueat, quomodo ablativi ,arte' et ,facie' inter se possint conciliari non intellego, praesertim si ,faciei' synonymon ,forma' eiusdem enunciati esse subiectum perpenderim.[1])

Emendatio vero multo probabilior nobis tam sententiam quam palaeographiae rationem spectantibus aliorum huius carminis versuum similitudine quadam suggeritur. Participium enim, quod ad supplendam sententiam ablativo ,arte' requiritur, esse **,variata'** suadent et vv. 45—46:

,Vidi artes veterumque manus variisque metalla
Viva modis;' et vv. 55—56:

. . . . ,varias ubi picta per artes
Gaudet humus superatque novis asarota figuris.'

Deliciarum nimirum specieique Manlii villae varietas artibus multis parata et aucta poetae laudibus effertur.

Cf. Claudian. Prob. et. Olyb. Cons. v. 95: ,Clipeus . . . ., quem tota variarat Mulciber arte'; Auson. Epist. XXIV v. 95 seqq. locum exhibent simillimum:

,Totque mea in Novero sibi proxima praedia pago
Dispositis totum vicibus variata per annum:
Egelidae ut tepeant hiemes, rabidosque per aestus
Aspirent tenues frigus subtile aquilones.'

Mart. IV 46, 17; VIII 28, 18; Verg. Georg. I 134 et 145. Horat. Art. poet. 29—31; Ovid. ex Ponto III 9, 47—48. Sil. Ital. XIV 659.

---

[1]) Praeterea etiam L. Polsterus locum coniectura ,utrimque' temptavit; cf. Fleckeisen. ann. v. 107 (1873) p. 774.

I 3, 32.

V. 30: . . . . ,Datur hic transmittere visus
Et voces et paene manus. sic Chalcida fluctus
Expellunt fluvii; sic dissociata profundo
Bruttia Sicanium circumspicit ora Pelorum.'

Tenebricosum iure Bernartius hunc locum appellat Marklandusque, num sit sanus, addubitat. Primum enim ii, qui hos versus legunt, in verbo ,Expellunt' sua sponte haesitant. Neque enim aut vis aut usus huius verbi sententiae, quae desideratur, aliquatenus respondent succurruntve. Itaque Heinsius coniecit: ,Dispescunt', Guietus: ,Divellunt', Burmannus: ,Discernunt', Marklandus: ,Dispellunt', Grasbergerus:[1] ,Expugnant'. Quarum coniecturarum mihi quidem Marklandiana maxime arridet, nisi forte scribendum est: **,Expediunt'**. Euripus scilicet Chalcida sive Euboeam expedit vel dissolvit a terra continente ad similitudinem Anienis. Talis verbi expediendi notio haud ita longe a sollemni eius usu recedit, quem docent Stat. Silv. III 4, 89, Expediunt comas. Horat. Carm. I 27, 23—24:

,Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera';

ibid. III 24, 8. Ovid. Heroid. XVII 200: ,expediunt iam tua vela Phryges.' Verg. Aen. I 177: ,Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma Expediunt; ibid. 701: ,Cereremque canistris Expediunt.'

Alterum mendum in voce ,fluvii' latet, quae nusquam adiective vel pro epitheto usurpata est. Nic. Heinsius igitur maluit legi: ,sic Chalcida fluctus Dispescunt reflui', quod Lindenbrogius et Cruceus coniecerant. Alii viri docti ,refugi' legendum censuerunt, quibus Marklandus est assentitus. Baehrensiana autem editio exhibet ,flavi', cum Grasbergerus ,curvi' proposuerit.

---

[1]) L. c. p. 771.

Equidem in singulorum singulis inventis refellendis non sum moraturus, sed quae sit mea difficultatis expediendae ratio proferam. Conicio enim corruptelam esse natam ex voce **,glauci'**, quae sive deum marinum sive Euripi fluctuum colorem significat, optime ad rem quadrat similitudineque litterarum non destituitur. Glauco enim, qui qua ratione in deum marinum sit conversus inter omnes constat, Euripus erat consecratus templumque Anthedone dedicatum. Cf. Silv. III 2, 36:

. . . . ,subitis qui perdidit inguina monstris
Glaucus adhuc patriis quotiens allabitur oris
Litoream blanda feriens Anthedona cauda;'

Theb. VII 333—35. Auson. Mosell. 276 seqq. Eadem de causa ab Ovidio Met. XIV 4 Glaucus ,Euboeicus tumidarum cultor aquarum' appellatur; cf. praeterea ibid. v. 38 seqq. et v. 68 seqq.; denique Claud. Rapt. Proserp. III 12.

Neque altera ex parte quidquam obstat, quominus ,glauci' vox adiectivi et epitheti ornantis vice fungatur, praesertim cum Glauci fabulam ipsam ab hoc glauco maris sive potius freti colore originem duxisse suspicari liceat. Similiter apud Claudianum Idyll. VI 35 et 36 legimus:

,Turbidus impulsu venti cum spargitur aër,
Glaucaque fumiferae terga serenat aquae;'

et in eiusdem Rapt. Proserp. I 103:

. . . . ,Nereia glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.' [1])

---

[1]) R. Bitschofsky defendit traditum ,Expellunt', vocem vero ,fluvii' coniectura ,dubii' (= ,die schwankenden') de suo prolata sarcire studet; cf. Ann. gymnas. Austriac. vol. XXIX (1878) p. 907—912.

I 5, 4.

V. 1: ,Non Helicona gravi pulsat chelys enthea plectro,
Nec lassata voco totiens mihi numina, Musas;
Et te, Phoebe, choris et te dimittimus, Euhan;
Tu quoque muta ferae, volucer Tegeaee, sonorae
Terga premas: alios poscunt mea carmina coetus.'

Queckius et Baehrensius veteriorumque editorum et interpretum complures in Politiani emendatione ,Tu quoque muta' acquiescunt, quam pro genuina archetypi scriptura accipere videntur; attamen, nisi omnia me fallunt, corruptela in his verbis adhuc latet pessima, quam Politianus antitheto isto ficto ,muta ferae sonorae terga' adeo non expedivit, ut etiam obscuraret obtegeretque. Nam cum sententiam eam esse liqueat, ut Mercurius chelyn premendo inhibeat et obmutescere iubeat, elocutionem ,muta ferae sonorae terga premere' durissimam ac paene obscuram et perplexam tolerari non posse, nemo est, quin sentiat; etenim non solum, quia verbi premendi vis, ut Barthius recte animadvertit, sententiae per se suppetit, voce ,muta' facile caremus, sed etiam testudini epitheton notione contraria vocique ,sonorus' simili praeditum potius convenit.

Proinde non mirum, quod Marklandus, Statiani ingenii versusque componendi rationis unus omnium vir peritissimus, Politiani invento repudiato Morellianam coniecturam ,Tu quoque amica' haud prorsus spernendam censebat, ea tamen re deceptus, quod oppositionem inter verba ,amica' et ,ferae' intercedere putabat. In verborum vero perpetuitatem cod. Par. et ed. Aldinae lectionem ,Tuque inimica', quae quidem emendationis Politiani auctoritatem nonnihil imminuit, cum ,Tuquoque muta' in ,Tuque inimica' abiisse parum habeat probabilitatis, ita admisit, ut aliorum coniecturis pateret locus.

Talis vero mihi obtigit emendatio, quae non solum facillima sit, sed etiam, ut spero, verisimillima: ,Tuque **invita** ferae, volucer Tegeaee, sonorae Terga premas.'

Vide iam, quam elegans nascatur sententia quamque splendidus color poeticus! Mercurius lyram sonoram, licet adversetur et repugnet, reprimere et cohibere a poeta iubetur. Hac emendatione assiduitatis studiique canendi notio, quam et superiora illa ‚lassata totiens numina' et sequentia ‚regem fessum Elicuisse satis' exhibent, mediae quoque sententiae ingeniose impertitur. Accedit, quod et Politiani emendatio ‚Tu quoque muta' et cod. Paris. scriptura ‚Tuque inimica' mea coniectura quodam modo conciliantur, cum quam facile altera in alteram partem a vera memoria: ‚Tuque invita' discedere potuerit, in propatulo sit.

Emendationi, quam modo protuli, innumera poetarum favent exempla, velut III 1, 112:

. . . . ‚ipse adero et conamina tanta iuvabo
Asperaque invitae perfringam viscera terrae.'

Horat. Carm. I 18, 11: ‚Non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam.' Ovid. Amor. III 9, 23:

‚Aelinon in silvis idem pater, Aelinon altis
Dicitur invita concinuisse lyra.'

Heroid VIII 5: ‚Quod potui, tenui, ne non invita tenerer.' Met. VII 19. Propert. IV 1, 75:

. . . . . ‚aversus Apollo
Poscitur invita verba pigenda lyra'

ibid. III 5, 66: ‚Et niger invitam traxit hiatus aquam.' Cf. praeterea Stat. Theb. VII 158 et VIII 548 et IX 891; Horat. Art. poet. 467; Epist. I 20, 16; Mart. II 86, 8; Phaedri IV 3, 9; Senec. Thyest. 565 et Herc. Fur. 676.

I 6, 15.

V. 12: ‚Quidquid nobile Ponticis nucetis
Fecundis cadit aut iugis Idumes;
Quod ramis pia germinat Damascos,
Et quod percoquit ebosia cannos,
Largis gratuitum cadit rapinis.'

Imhofii emendatio pro corrupta voce ‚cannos' v. 15 nomen proprium ‚Caunos' restituentis admodum

mihi quidem probatur et una omnium certissima videtur, quod et secundum v. 11: ‚Hunc rorem veniens profudit Eurus' [1]) Asiae tria loca praecedunt et Caunos urbs propter ficorum copiam celeberrima erat, ita ut fici vulgo ‚Cauneae' a veteribus appellarentur.

Nomine autem proprio ‚Caunos' restituto omnia veteriorum interpretum commenta de voce ‚Ebosia' vel ‚Ebusia', quae tam metricis grammaticisque quam geographicis adversatur rationibus, [2]) concidunt, praesertim cum adiectivum quoddam sive epitheton ornans desiderari liqueat, quod superioribus ‚nobile', ‚fecundis', ‚pia' respondeat.

In altero vero Imhofii invento ‚aestuosa' cum aliis de causis tum maxime, quia merum urbis attributum exhibet, non fructuum, quod conexu requiritur, acquiescere non possum, sed voce **‚ebriosa'** ad librorum vestigia accedere conor. Hoc autem epitheton, quod loco nostro idem significat atque ‚sucosa', ‚suci plena', sollemni epithetorum enallage (cf. Silv. II 3, 12 ‚belligerum Jani nemus') non rei, quae percoquitur, tributa est, sed ‚Cauno' urbi percoquenti. Eadem ratione versu superiore ‚Damascus' ‚pia' vocatur. Usus vero huius adiectivi translatus comprobatur Catull. 27, 2—4:

‚Inger mi calices amariores
Ut lex Posthumiae iubet magistrae
Ebriosa acina ebriosioris;'

h. e. uva suco turgente. Pluribus autem locis res liquore quodam imbutae dicuntur ‚ebriae', velut apud Mart. XIV 154 ‚lana sanguine conchae'; X 38; 7 ‚lucerna nimbis'; XIII 82. Comparari denique aliqua ex parte potest Mart. VII 19, 12: ‚ficus lippa.'

---

[1]) Et hinc et ex toto sententiarum nexu satis elucet, Baehrensii coniecturam ‚Nec' a re et loco alienissimam atque aut libri Sang. apographi scripturam ‚Nunc' servandam aut noviciorum codicum et editionis pr. memoriam ‚Hunc' probandam esse.

[2]) De tota hac re pluribus A. Imhofius disseruit pp. 5—7 Emendationum Statianarum, Hallis 1867.

II 1, 33.

V. 30: . . . . ,Me fulmine in ipso
Audivere patres, ego iuxta busta profusis
Matribus atque piis cecini solatia natis
Et mihi, cum proprios gemerem defectus ad ignes
Quem, natura, patrem!'

Omnia haec verba perspicua sunt praeter vocabulum ,defectus', quod mendi suspicionem plüribus de causis movet. Primum enim verborum collocatio ita est comparata, ut secundum sollemnem poetarum usum verba ,próprios ad ignes' ex interposita voce ,defectus' suspensa accipere conemur; quod cum fieri nequeat, et exspectatio decepta nos turbat et genus illud dicendi: ,defectus gemui patrem ad proprios ignes', quantum equidem mihi indicii vindicare audeo, vix poeta polito et eleganti est dignum. Tum illud ,defectus' ipsum de toto homine usurpatum praeterque consuetudinem absolute positum, cum non dicatur, qua re poeta defectus fuerit, ambigua vi ac nimis vaga notione laborat frigidique nonnihil et languidi habet. Accedit denique, quod scrupulos meos egregie firmat locus III 3, 41 simillimus eandemque rem perstringens, qui mihi idem tollendae corruptelae loco nostro latentis viam aperuit:

,Neque enim mihi flere parentem
Ignotum, et similes gemui proiectus ad ignes.'

Jamiam vides medelam loco nostro accommodatam: scripsit enim Papinius:

. . . ,cum proprios gemerem **deiectus** ad ignes
Quem, natura, patrem!'

En habes mutatione paene nulla locutionis non solum similitudinem apud poetas illius aetatis pervulgatam et affectatam varietatemque simul superiore illo participio v. 31 ,profusis' adductam suavissimam, sed etiam verborum conexum elegantissimum constructionemque perspicuam! Deiciendi vero verbum proiciendi vel prosternendi notione ornatum poetis Latinis omnibus familiarissimum fuisse, multa exempla docent, ut. Claudian. Rapt. Proserp. III 297 ,Supplex deiectaque vestris Advolvor

genibus'; ibid. de VI Cons. Honor. 229; Mart. V 14, 8; Verg. Aen. XI 833 ...., deiecta crudescit pugna Camilla'; ibid. X 853; Georg. III 422; Cir. 32: ,Additur aurata deiectus cuspide Typho.' Lucan. VIII 206 et 344: ,Deiectum fatis humilem fractumque videbit.' Sil. Ital. XV 463 et XVI 165. Val. Flacc. Argon. VI 193. Phaedr. II 1, 1. Cf. denique Horat. Art. poet. 462, ubi alii libri ,deiecerit', alii ,proiecerit' exhibent; (sed cf. etiam Bentl. adnot. ad illum locum); ibid. 110.

II 1, 63.

V. 62: ,Quis matutinos abrumpet murmure somnos
Impositus stratis abitusque morabitur artis
Nexibus adque ipsos revocabit ad oscula postes?
Obvius intranti rursus quis in ora manusque
Prosiliet brevibusque humeros circumdabit ulnis?'

Participium istud v. 63 ,impositus' secundum codicum memoriam de Glaucia dicitur, neque aut leges grammaticae aut illius enunciati sententia leviter tantummodo attacta, quominus ita intellegamus videntur obstare. Penitus vero accuratiusque verba illa perscrutanti non modo ambiguitas importuna sententiae enunciatique: ,Quis matutinos abrumpet murmure somnos Impositus stratis' apparebit, sed etiam corruptelae suspicio simul suborietur. Quaerere enim licet: Uter utriusve somnum interrumpit? Nimirum Glaucias delicatus Atedii somnum turbat. At hoc tu ex sententiarum nexu auguraris, nam verba ipsa prorsus sunt ambigua minimeque prohibent, quominus Glaucias delicatus, quippe qui sit ,stratis impositus' suum ipsius somnum abrumpens et ad tempus fallendum per ludum iocumque murmurans fingatur. Vides igitur, additamentum istud ,Impositus stratis', quod quivis e rerum natura ad dormientem ipsum relaturus sit, si cum delicato murmurante somnumque heri turbante iungatur, adeo nullius momenti esse, ut sententiam obscuret, cum potius Atedio debeatur,

cuius significatio ac mentio in hoc toto enunciato requiruntur. Proinde ultro paene se mutatio exigua nobis obtrudit: ,Imposito stratis', qua probata omnis ambiguitas, utri proprium aut dormiendi aut exsuscitandi munus tribuamus, prorsus evanescet.

Huic, quam protuli, emendationi simplicissimae etiam poetae ipsius verba, et quae praecedunt et quae infra leguntur, mirum quantum favent. Prima enim interrogatione illa v. 56, qua Statius a delicato compellato ad illius herum alloquendum se convertit, pronomine ,tua' Atedius inducitur atque effertur, altera v. 58 accusativis ,accensum' et ,timendum', tertia e coniectura mea dativo ,imposito', quarta denique iterum dativo ,intranti'. Sententiarum igitur aequalitas quaedam iamiam nata ordoque orationis membrorum perspicuus neminem fugient.

II 1, 67.

Poeta carmen suum ita continuat:

,Muta domus, fateor, desolatique penates,
Et situs in thalamis et maesta silentia mensis!
Quid mirum, tanto si te pius altor honorat
Funere?'

Verbum istud v. 67 ,fateor' ineptissime insertum esse, Marklandus primus erat, qui animadvertit, atque fere omnes deinceps interpretes editoresque posteriores, velut etiam Queckius ipse, proprietatum, quas putabat, Statianarum fautor et patronus unus omnium timidissimus, fatendi notionem affirmationemque magnopere loco nostro languescere et a sententia orationisque ratione prorsus abhorrere concesserunt. Namque re vera Imhofium,[1]) qui solus scripturam codicum ,fateor' genuinam esse arbitratur et hoc verbum loco nostro vindicare studet, minime

[1]) De Silvarum Stat. condicione critica, Hallis 1859, pag. 27.

esse audiendum vis ususque huius verbi praecipue docent, quae licet cognoscas ex locis collatis his: Silv. III 4, 39 et V 5, 5; Achill. I 142, 146, 635 et II 60, 101; Theb. I 678; II 342; III 61, 572; V 623; XII 376; Mart. V 13, 1.

Longum vero est, singulas singulorum coniecturas, ut Marklandi ,pariter', utramque a Queckio[1]) memoratam: ,muta domus facies' et ,muta domus Melior', Appelmanni[2]) ,penitus', Baehrensii[3]) ,stat ero', accuratius percensere, cum earum nulla, palaeographiae sententiaeve si spectas commendationem, quidquam habeat probabilitatis. Verumtamen de commento ,Melior' paucis disseruerim, cum novus ei exstiterit patronus: Polsterus.[4]) Quae coniectura, quanquam primo obtutu nonnihil arridet nobis ingeniumque redolet, orationis tenori sententiarumque conexui adversatur; nam enunciato, quod proxime inde a. v. 66 sequitur:

,Quid mirum, tanto si te pius altor honorat
Funere? tu domino requies portusque senectae,
Tu modo deliciae, dulces modo pectore curae;'

non Atedius Melior, sed contra eius delicatus compellatur. Nimirum generali illa oratione inde a v. 57 instituta poeta a domini apostrophe ad famuli alloquium sibi paravit transitum, perinde atque inversam rationem vv. 54 et 55 observavimus. Quod poetae consilium ingeniosum et artificiosum Polsteri coniectura admissa importunissime turbatur.

Certissimum tamen sine dubio difficultatis expediendae ponemus fundamentum duobus argumentis, quibus tum elocutiones istae ,muta domus', ,desolati penates', ,situs in thalamis', ,maesta silentia mensis' ratione quadam probentur et explicentur, tum exclamatio, quae versibus 67 et 68 continetur, particula aliqua, quam vocant,

---

[1]) Cf. praefationis editionis p. XIII.
[2]) Studia Papiniana, Demminii. 1872, p. 24.
[3]) Mus. Rhen. v. XXVIII p. 255.
[4]) Quaestiones Statianae; partic. I. Lips. 1878, p. 4.

interiectionis efferatur et fulciatur. Proinde **,fato en!'** substituendum propono, haud invitis palaeographiae rationibus perspicuaque mendi origine. De vocis ,fato' usu cf. h. c. v. 222; libri II 4, 3; V 1, 150; Achill. I 177; Theb. III 191; Ovid. ex Ponto I 5, 14; Valer. Flacci Argon. III 620. Ovid. Metam. II 189. Senec. Oedip. 1019: ,Fati ista culpa est. nemo fit fato nocens.' Auson. Caes. XVI 3.

De particulae ,en' collocatione cf. huius ecl. v. 17; IV 3, 121 et 8, 43; V 2, 29; Martial. I 83, 3. Claudian. In Eutrop. II 120. Haec particula pariter per synizesim vocali praecedente absorbetur V 2, 173. Theb. VIII 40, sicut particula ,o!' Silv. I 2, 33: ,Pone o dulcis suspiria vates!' cf. Theb. III 608. Itaque cum eadem sensus commoditate et probabilitate dolentis quoque interiectionem ,o!' sive ,oh!' inseri licet. Cf. Auson. Parent. XI 15.

II 2, 93.

V. 90: ,Hic et Amyclaei caesum de monte Lycurgi
Quod viret et molles imitatur rupibus herbas,
Hic Nomadum lucent flaventia saxa Thasosque
Et Chios et gaudens fluctus spectare Carystos.'

Verbum ,spectare' v. 93, in quo libri Sang. apographum et editio pr. consentiunt, etsi neque per se ipsum neque cum nomine ,Carystos' coniunctum suspicionis ansam ullam videtur dare, tamen cum sententia, quae toto loci conexu desideratur, vix potest conciliari; [1]) id enim satis liquet, nomine ,Carystos' perinde ac superioribus nominibus ,Thasos' et ,Chios' nihil aliud significari nisi marmor ex his locis singulis petitum. Itaque cum totius loci ratione condicioneque eo ducamur, ut non urbis Carysti situs laudem quamlibet, sed marmoris Carystii

[1]) Cf. M. Hauptii Opusc. III 130.

coloris marini sive viridis significationem requiramus, verbum ,spectare' sive potius genus dicendi ,gaudens fluctus spectare Carystos' eiusmodi sententiae sufficere aut accommodatum esse negare non dubitabimus. Inde vero etiam apparet, Grasbergeri[1]) medelam ,fluctus artare' ad loci salebras tollendas omnino nihil valere. Neque magis cuiquam Queckii[2]) interpretandi ratio potest probari: ,gaudet marmor Carystium, dum mare sibi simile spectat, gaudet pari colore mare spectare,' nam verborum illorum ,sibi simile' vel ,pari colore', quorum in vi omnia sunt posita, ne vestigium quidem ullum exstat.

Denique ne quis Statium ,fluctus spectare' scripsisse ad similitudinem locutionum ,crocum olere, mare sapere' suspicaretur, suo iure Baehrensius[3]) monuit, ,cum illud nil posset significare nisi hoc: ,marmor Carystium in mare prospicere gaudens.' At cum Baehrensius ipse Salmasii commentorum ,fluctus aequare' et ,fluctu certare' priore in textum recepto acquieverit, Polsterus[4]) notionem usumque spectandi verbo a Baehrensio derogata verbo ,spirare' vindicare studuit idque ingeniosius quam verius: nam neque exempla ab ipso prolata (Silv. V 1, 230 et III 3, 202; Sil. Ital. XV 411) satis idonea sunt, quibus verbi spirandi usus loci nostri sententiae conveniens exhibeatur, et dicendi genus ipsum ,fluctus spirare' de marmore usurpatum a sermonis Latini ratione longius, quam par est, videtur abhorrere.[5])

Equidem Salmasii sententiae, certamen quoddam coloris inter marmor et mare innui, ita adstipulor, ut **,superare'** potius restituendum censeam, quod verbum per compendium exaratum facile in ,spectare' abire potuit. Qua autem re marmor Carystium superet fluctus, orationis tenore satis

---

[1]) L. c. p. 420.

[2]) Edit. praef. p. XV.

[3]) Edit. praef. p. XIX.

[4]) Quaestiones Statianae. partic. I p. 5.

[5]) Cf. etiam ea, quae R. Bitschofsky de hoc loco disputavit Fleckeis. ann. vol. CXVII (1878) p. 573 seq.

superque docemur. Cf. I 3, 56: ,Gaudet humus superatque novis asarota figuris;' ubi Marklandus legi mavult: ,Gaudet humus superare novis asarota figuris,' qua mutatione verborum non modo notionis, sed etiam constructionis similitudo inter hunc et nostrum locum intercedit maxima. De verbi superandi usu conferamus praeterea II 1, 23:

,Teque patrum gemitus superantem et bracchia matrum
Complexumque rogos (sc. vidi);'

V 3, 51; Achill. I 388. Ovid. Metam. XV 521; Trist. II 336: ,materia ne superetur opus'; Senec. Phoeniss. 335.

De phrasi ,gaudens superare' similibusque cf. exempla a Marklando ad I 3, 56 allata, quibus addere mihi liceat haec: II 1, 134; IV 2, 51; IV 3, 24; Val. Flacc. VII 69. Verg. Aen. II 239; Cul. 35; Cir. 385.

II 2, 125.

V. 121: ,Vive, Midae gazis et Lydo ditior auro,
Troica et Euphratae supra diademata felix,
Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent, qui pectore magno
Spemque metumque domas tuto sublimior omni
Exemptus fatis indignantemque repellis
Fortunam;'

Corruptelam manifestam ,tuto' v. 125 Domitius temptavit coniectura ,vitio', quam tanquam veram omnes editores sine ulla dubitatione receperunt praeter unum Baehrensium, qui ,astu' in verborum perpetuitatem revocavit. Etsi de hoc invento ipso verbum ullum facere operae pretium non est, hic tamen vir doctus ea de causa est laudandus, quod Domitiani coniecturae auctoritatem infregit redintegrandaeque de ista depravatione quaestionis locum dedit. Qua instituta neminem fugiet poetam non tam Pollii vitae probitatem integritatemque universae laudibus efferre, quam, id quod ea, quae praecedunt:

,Midae gazis et Lydo ditior auro,
Troica et Euphratae supra diademata felix,
Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent, qui pectore magno
Spemque metumque domas,'

et ea, quae sequuntur:

,Exemptus fatis indignantemque repellis
Fortunam; dubium quem non in turbine rerum
Deprendet suprema dies, sed abire paratum
Ac plenum vita,'

luce clarius ostendunt, quo animo quaque mente fuerit adversus fortunas et res publicas et belli pacisque honores. Proinde Pollius spem metumque domabat, non quia vitiis erat vacuus omnibus (quae et per se profecto admodum mira esset argumentandi ratio et digna, quae impugnaretur), sed quia liber erat ambitione aliisque cupiditatibus. Inde etiam sequitur, ne Grasbergeri[1]) quidem coniecturam ,titulo', licet sit ingeniose excogitata, ad summam quaestionis quadrare. Vocem autem vere Statianam, quae est **,voto'**, imprimis Claudii Rutilii Namatiani Itiner. I v. 163: ,Fortunatusque agam voto beatior omni' nobis suggerit multaque alia exempla comprobant, ut Silv. V 2, 125 et 126:

,Ergo age (nam magni ducis indulgentia perstat[2])
Certaque dat votis hilaris vestigia frater), etc.'

I 2, 33; IV 7, 34; V 3, 218; Theb. III 564: ,Hinc scelus insidiaeque et nulla modestia voti;' ibid. I 322:

. . . . . . ,spes anxia mentem
Extrahit et longo consumit gaudia voto;'

VI 634; VIII 253; IX 623; XI 300 seqq. Val. Flacc. I 200. Senec. Hippol. 711; ibid. Troad. 700 seqq.

II 3, 69.

V. 64: ,Tu, cuius placido posuere in pectore sedem
Blandus honos hilarisque tamen cum pondere virtus,
Cui nec pigra quies nec iniqua potentia nec spes

---

[1]) L. c. p. 420.

[2]) Cf. de hoc verbo ea, quae infra ad illum locum disputavi.

Improba, sed medius per honesta et dulcia limes,
Incorrupte fidem nullosque experte tumultus
Et secrete, palam quod digeris ordine vitam,
Idem auri facilis contemptor et optimus idem
Comere divitias opibusque immittere lucem.'

Jure Marklandus v. 69 et codicum memoriam: ,Et secrete palam' et Gevartii coniecturam ,Exsatiate palam' aspernatus est: altera enim secum ipsa pugnat, altera est absurda. Baehrensius vero patrocinatur voci ,secure' a Marklando excogitatae, cui hic ipse adeo diffidebat, ut se eam explicare non posse fateretur. Kochius denique summa, ut solet, cum licentia verba ,Ambitione procul' commentus est.[1])

Equidem conicio litteram N particulae ,Nec' in initio versus secundum sollemnem librariorum errorem facillime excidere potuisse; quo facto syllabam ,ec' in particulam ,et' litterarum ductibus simillimam abiisse. Restitue ergo vocabulum ,Nec': iam intelleges et perspicies sententiarum tenorem orationemque antithetis refertam: Atedio aureae mediocritati inservienti tamque blanditia, quam honestate, tam hilaritate, quam gravitate ornato nec pigra quies placet neque iniqua potentia neque ambitio improba. Qua re ei contigit, ut incorruptam servaverit fidem neque ullos sit expertus tumultus, quae res laude eo maiore videtur digna, quia non procul a re publica vel a coetu hominum, non secretus vitam degebat, sed palam eam ordine digerebat.

Vocis autem ,secretus' usum comprobat imprimis Tacit. Ann. XI 21: ,dum in oppido Adrumeto vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species muliebris' et quae seqq. Senec. Herc. fur. 845: ,Turba secretam Cererem frequentat.' Mart. VII 31, 4 et 34, 8. Horat. Sat. II 1, 71; Art. poet. 298. Lucret. V 448 et 449.

[1]) Coniectan. in poetas lat. part alt. p. 15. Francofurti ad Viadrum 1865.

II 4, 14.

V. 11: ,At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,
Conexusque ebori virgarum argenteus ordo,
Argutumque tuo stridentia limina cornu,
Et querulae iam sponte fores! vacat ille beatus
Carcer, et angusti nusquam convicia tecti.'

Frustra viri docti in mutandis verbis ,iam sponte' difficultatis, quae in v. 14 latet, enodandae causa operam collocaverunt, ut Schraderus[1]) ,tam saepe', Baehrensius ,tam forte', Grasbergerus[2]) ,ceu sponte' conicientes, cum Marklandus, qua erat animi sagacitate, recte iam antea senserit, vocem ,querulae' contra corruptam esse. Quae suspicio non solum iis, quae proxime sequuntur: ,vacat ille beatus Carcer, et angusti nusquam convicia tecti', sed etiam tota re totoque caveae descriptionis tenore confirmatur, quo certe alius cuiusvis forium status commemoratio exspectatur ac molestissimi exsecrandique crepitus laus. Marklandus vero liberius ,En! mutae non sponte fores!' scribendum proposuit, quasi psittaco vivo strepitus voluntarius caveae portulae fuisset sollemnis ac perpetuus. At ne sim longus, forium illarum condicio exsistet multo dignior reique aptior, si reposuerimus: ,Et **patulae** iam sponte fores!' Hic enim erat caveae tum aspectus: fores iam sponte patebant, quia, ut erant vacuae atque orbatae, reversurum habitatorem sperabant reversumque quam celerrime recipere gestiebant. Cf. II 5, 11:

. . . . . ,stat cardine aperto
Infelix cavea, et clausis circum undique portis
Hoc licuisse nefas rabidi tumuere leones.'

IV 6, 2: ,cum patulis tererem vagus otia saeptis
Jam moriente die, rapuit me cena benigni
Vindicis.'

Horat. Art. poet. 132; Ovid. VII 245; ibid. XIV 752:
,Et patulis iniit tectum sublime fenestris.'

---

[1]) M. Hauptii Opusc. III 132.
[2]) L. c. p. 772.

II 6, 6.

V. 4: ‚Durum et deserti praerepta coniuge partem
Conclamare tori, maesta et lamenta sororum
Et fratrum gemitus: ad te tamen at procul intrat
Plaga minor: famulum (quoniam rerum omnia caeca
Sic miscet Fortuna manu nec pectora novit),
Sed famulum gemis, Urse, pium etc.'

V. 6 antiquissimi codices et ed. pr. exhibent haec verba pessime depravata ‚ad te tamen at'. Corruptela, quae in litteris ‚ad te' latet, inde videtur orta esse, quod librarius quidam in hac altera sententiae parte significationem personae pronomini ‚quisquis' v. 1. opponendae desiderabat. Re vera tamen non tam lugentium personae, quam diversa doloris luctusque genera summo accentus pondere premuntur. Itaque ex loci nostri condicione sententiarumque conexu alterius mendi ‚at' in ‚ac' mutati emendatione probata, ad alterum errorem tollendum adverbium aliquod illi, quod sequitur, ‚procul altius' adsimulandum investigabimus spretis omnibus coniecturis adhuc prolatis. Nam ea, quam Domitius Calderinus proposuit, licet in omnia fere posteriora exemplaria sit propagata, neque intellegi neque explicari aut usu comprobari potest, id quod exempla illa Sil. Ital. VII 280 ‚arta fames' et Gellii. X 6 ‚quanto artius pressiusque conflicta essem', quibus fretus Queckius[1]) adverbium ‚arte' in editionem suam recepit, maxime arguunt. Neque Madvigio,[2]) qui versum depravatum hanc in formam redegit:

‚Et fratrum gemitus acres; tamen et procul intrat,'

ut vera poetae verba consequeretur, contigisse Koestlinius[3]) recte animadvertit. Sed ne huic quidem mirum, quod statuit, inventum ‚Arcus tamen et procul intrat' prospere successit neque magis Baehrensio, qui Marklandi ‚haeret' conicientis vestigia secutus, blandius quam verius ‚ardet tamen ac procul intrat' restituit.

---

[1]) Edit. praef. p. XVI.
[2]) Advers. crit. vol. II p. 159.
[3]) Philol. vol. XXXV p. 494.

Vocem autem genuinam sententiamque vere Statianam minima mutatione habebimus, si scripserimus:

,Et fratrum gemitus: **tacite** tamen ac procul intrat
Altius in sensus maioraque vulnera vincit
Plaga minor.'

Hac enim emendatione aptissima scitissimaque utriusque luctus nascitur oppositio: dura scilicet et maesta liberorum, coniugis, germanorum funera sunt; doloris vero vulnus inde acceptum est apertum et vulgare luctusque publicus et conspicuus. At praeterea plaga exstat alia, specie minor et vilior, quae tamen furtim et tacite sensibus obripiens multo istis altius penetrat et vulnera, quae existimantur, graviora dolore superat: nempe delicati, famuli dilecti, obitus.

Usum autem adverbii ,tacite', quod restitui, exempla comprobant haud absimilia, ut Theb. II 232:

. . . . . . ,tacite subit ille supremus
Virginitatis amor, primaeque modestia culpae
Confundit vultus.'

Silv. IV 4, 37:

,Te quoque flammabit tacite repetita parumper
Desidia et solitos novus exsultabis in actus.'

Juvenal. XI 185: ,tacito bilem tibi contrahat uxor.' Phaedr. I 2, 17: ,Forte una tacite profert e stagno caput;' ibid V 1, 6; Ovid. Fast. I 65; ex Pont. IV 10, 54; Stat. Silv. III 1, 105; Theb. IX 81. Lucan. V 518. Nemesiani. Eclog. VI, 85.

II 6, 16.

V. 12: . . . . . ,Ne comprime fletus
Ne pudeat; rumpat frenos dolor iste deisque
Si tam dura placent, hominem gemis (hei mihi! subdo
Ipse faces), hominem, Urse, tuum, cui dulce volenti
Servitium, cui triste nihil, qui sponte sibique
Imperiosus erat.'

Particula ,que' pronomini ,sibi' v. 16 iniuncta, cum non habeat, quod coniungat, mendi suspicionem movet et delenda videtur, id quod iam Heinsius vidit, qui pronomen ,ipse' substituendum esse censuit. Sed adverbium

,sponte', quod idem fere, sed multo fortius et gravius exprimit, pronomen istud ,ipse' prorsus repudiat. Marklandi autem coniectura ,sibimet' adeo probabilitate caret, ut ne auctori quidem ipsi placuerit. Grasbergeri[1]) denique inventum ,sibi usque', quo ,temporis momento elato perpetuitas temperantiae prematur', licet haud male sit excogitatum, plus una ratione in dubium venit.

Loci igitur difficultatem ut expediamus, sententiarum rationem ipsam accuratius perpendere debemus. Quo facto duo illa enunciati membra ,cui dulce volenti Servitium' et ,qui sponte sibi Imperiosus erat' quodam modo sibi et respondere et opponi verborum tum collocatione tum sententia docemur: Ursi enim famulus non modo servitium ipsi impositum, i. e. aliorum imperia volens perferebat prompteque exsequebatur, sed simul etiam sibi sponte imperabat. Proinde versui laboranti vocabulo succurremus inserendo, quo haec seutentiae ratio efferatur atque aequalitas, quae enunciati partibus subest, perspicue exprimatur. Tale autem nobis offertur pronomine **,idem'**, quod particulae ,que' loco positum amissam sermonis elegantiam revocat Statianam:

. . . ,hominem, Urse, tuum, cui dulce volenti
Servitium, cui triste nihil, qui sponte sibi idem
Imperiosus erat.'

Ut litterarum similitudine vocum SIBIIDĒ et SIBIQE permutatio facillima, ita etiam pronominis ,idem' usus frequentissimus collocatioque in fine versus poetis familiarissima, qua re summa cum accentus vi res duae eaeque quodam modo inter se contrariae de uno eodemque subiecto pronunciantur. Cf. imprimis II 3, 70:

,Idem auri facilis contemptor et optimus idem
Comere divitias opibusque immittere lucem.'

Juvenal. III 291. ,Nam quid agas, cum te furiosus cogat et idem Fortior?' ibid. IV 8; VI 112; VIII 79: ,Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem Integer;' X 331; XI 23:

---

[1]) L. c. p. 772.

. . . . ,Illum ego iure
Despiciam, qui scit quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus: hic tamen idem
Ignoret, quantum ferrata distet ab arca
Sacculus;'

denique XVI 58. Verg. Georg. II 106; Aen. V 371; Horat. Sat. I 10, 65; Prop. IV 2, 39.

III 2, 66.

V. 61: ,Quis rude et abscissum miseris animantibus aequor
Fecit iter solidaeque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus pelagoque immisit hianti
Audax ingenii? nec enim temeraria virtus
Illa magis, summae gelidum, quae Pelion Ossae
Junxit anhelantemque iugis bis pressit Olympum.'

In numerali ,bis' Barthius et alii quibusdam de causis offenderunt; attamen eorum commenta referre taedet, qui propter Pelion et Ossam verba ,iugis bis pressit' idem ac binis iugis valere suspicati sint, nam adverbio ,bis' vim numeralis distributivi vel notionem vocum ,duplex' et ,geminus' sine exemplorum auctoritate vindicare magnae iudico esse temeritatis. Marklandus autem numerale ,bis', quo et ipse quoque sollicitabatur, omnino exterminare et verbum compositum ,impressit' reponere malebat. Atque profecto istud ,bis', licet aliis de causis atque illos viros doctos, magnopere nos turbare necesse est; nimirum Marklandus, quae esset loci difficultas, non tam clare comprehendit, quam auguratus est, cum interrogavit: ,Quare bis pressit?', quanquam ipse locum attulerat Vergilianum, unde Statiani versus memoriae tenebris lux oboritur splendidissima. In Georg. I 281 seqq. enim legimus:

,Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet atque Ossae frondosum involvere Olympum
Ter pater exstructos disiecit fulmine montes;'

cuius exempli vel ipsa auctoritate, praesertim cum Papinium perpetuum esse Vergilii imitatorem meminerimus,

ut loco nostro ,ter' restituamus, ad modum commovemur.

Ad ea, quae disserui, altera accedit causa e consuetudine latini sermonis petita, unde ,bis' loco nostro abiudicandum esse apparet. Hoc enim numerale, ubicunque occurrit, vi illa atque potestate rei numero aliquo addito augendae et exaggerandae, quae quidem loci nostri naturae sine dubio conveniunt quaeque in aliis adverbiis numeralibus, velut ,ter', ,bis terque', ,terque quaterque' insunt, prorsus caret; immo iterationem meram et numerum re vere acta definitum affert sine ullo orationis ornatu aut soni pondere, conf. e. gr. III 3, 122; Horat. Carm. II 16, 35; III 6, 9 et 9, 15; IV 1, 25; Martial. I 45; III 6, 2; IV 4, 6; Verg. Georg. I 48 et 491, alia.

Numerale ,ter' contra tam sollemne in eiusmodi rebus est, ut mysticam quandam vim induerit. Cf. V 3, 29; Theb. IX 602; Achill. I 99; Horat. Carm. I 28, 36; II 14, 7 et 17, 26; Verg. Eclog. VIII 74; Georg. I 345; Aen. II 174; Tibull. IV 6, 14. Mart. IV 40, 3; plurima alia.

Erroris autem origo haec videtur fuisse: Librarius quidam ultima vocis praecedentis ,iugis' syllaba turbatus et inductus est, ut numerale adverbium ,bis' litterarum ductibus simillimum in genuini adverbii ,ter' locum substitueret. Probata denique, quam modo protuli, emendatione molestus ille syllabarum aequarum sonus ac sibilus verborum ,iugis bis pressit' ultro simul evanescunt.

II 3, 105.

Claudius Etruscus, rationum aerarii sacri procurator, evolvit cum alia tum

,Quod domini celsis niteat laquearibus aurum
Quae divum in vultus igni formanda liquescat
Massa, quid Ausoniae scriptum crepet igne monetae.'

Molesta illa parumque eleganti iteratione ablativi vocis ,ignis', praesertim cum forma eius varietur, mendi suspicio

commovetur. Itaque Burmannus et Marklandus v. 105 vocem ,igne' ita deleverunt, ut alter Baehrensio assentiente ablativum ,arce', alter ,ore' in versum insereret.

Attamen haec corrigendi ratio, qua sollemnis Statiique proprius ablativus ,igne' exterminatur, cum altera insolita et ab usu Statiano aliena forma ,igni' servetur, nonnullas mihi affert dubitationes easque eo graviores, quia suspectus ablativus ,igni' v. 104 voce ,signis' facillime sarciri et alterius ablativi usus v. 105 collatis locis Statianis Silv. I 1, 3; Theb. V 521; VIII 29 et 469 atque Lucan. I 380; VI 403—405, aliis possit explicari.

Quod si quis contra cum Burmanno aliisque faciens mutando ablativo ,igne' v. 105 sit suffragaturus, et Burmanni ,arce' et Marklandi ,ore' spretis ,**aede**' restituendum proponam. Huic enim coniecturae non modo palaeographiae ratio favet, quia vox ,aede' (ęde) propter litterarum praecedentis verbi ,crepet' similitudinem facillime excidere et lacuna superioris versus vocabulo ,igni' expleri potuit, sed etiam quod in aede Junonis ipsa fuisse monetam inter omnes constat, unde dea cognomen Monetae acceperit. Cf. Liv. VI 20, 13 et VII c. 28; Suidam s. v. Μονῆτα.

III 4, 40.

V. 35: . . . . ,Vade age mecum
Vade puer, ducam volucri per sidera curru
Donum immane duci; nec te plebeia manebunt
Jura: Palatino famulus deberis amori.
Nil ego, nil, fateor, toto tam dulce sub orbe
Aut vidi aut genui. Cedat tibi Latmius ultro
Sangariusque puer' et quae seqq.

Quotienscunque hos versus perlegi atque cogitatione pertractavi, facere non potui, quin in verbo ,genui' haesitarem interpretumque et criticorum virorum silentium mirarer. Nam cum huic verbo mendum pessimum subesse appareat, viros doctos nisi medelae inopia corruptelam memoriae

absurditatemque generis dicendi non fovisse aut servasse licet suspicari. Neminem enim fugit verba illa ,vidi', ,genui', gemina coniunctione adversativa ,aut' sibi opposita, propter disparem utriusque notionis ambitum commode inter se conciliari non posse. An ratio verborum illorum sententiam ullo modo possit tolerare, poetam delicatos, quos ipse genuisset, non vidisse aut omnes pueros Flavio Earino formae dulcedine inferiores, quos quidem Statius non vidisset, ab ipso poeta fuisse genitos? Accedit, quod pueros illos, quos poeta exempli gratia proximis verbis appellat, ab ipso neque unquam conspectos neque genitos esse liquet, immo tales, quos fama fabulisque celebratos acceperit. Hinc igitur sequitur loci totius sententiae verbum aliquod aliud deberi alteri illi ,vidi' vi sua ad scientiam et memoriam referenda par et accomodatum atque latiore etiam illo notione praeditum, ut gradatio nascatur desiderata. Tale autem nobis se offert verbum **,tenui'** quo delicati specie insignes in comparationem a poeta vocantur superioribusque illis visu notis adiunguntur, quos poeta tantummodo memoria accepit et mente tenet vel unquam tenebat. Cf. Theb. VIII 510:

. . . ,teneo aeternumque tenebo,
Quantum haec diva manus, quotiens sudaverit aegis
Ista mihi.'

Auson. Sapient. prolog. v 31:

. . . . . . ,sed si memoria
Rebus vetustis cludit: veniet Ludius,
Edisserator harum, quas teneo minus.'

Tib. I 2, 53: ,Sola tenere malas Medeae dicitur herbas.' Horat. Sat. II 4, 8; Art poet. 336; Verg. Eclog. IX 45; Catull. 64, 209 et 239. Martial. IV 37, 7; Claudiani Laud. Stilich. II 42, benefacta tenere;' alia.

Haec scribenti mihi incidit altera medela et rei sententiarumque tenori et poetarum locutionis variandae studio valde accommodata. Statium enim fortasse **,cecini'** scripsisse tum ratione palaeographica, tum usu huius verbi frequentissimo monemur. Cf. II 7, 19:

,Lucanum canimus, favete linguis;'
III 2, 41: ,Nec cano degeneri Phoebeum Amphiona plectro;'
II 1, 32: ,cecini solatia natis;'
IV 4, 71. Verg. Aen. VII 698. Ov. Fast. II 423.

Qua emendatione humanis delicatis, quos poeta visu ac consuetudine novit, divini illi ab omnibus fere veteribus poetis celebrati pueri aptissime opponuntur, velut Endymion et Attis, quos Statius ipse infra memorat, quibusque imprimis Ganymedes adnumerari potest. Cf. praeterea Silv. II 1, 111 seqq; V 5, 55.

III 4, 75.

V. 73: ,Nondum pulchra ducis clementia coeperat ortu
Intactos servare mares; nunc frangere sexum
Atque hominem mutare nefas; gavisaque solos
Quos genuit natura videt, nec lege sinistra
Ferre timent famulae natorum pondera matres.'

Quid sibi adiectivum ,solos' v. 75 velit quique fieri possit, ut ,naturae gaudium' contineat sive excitet, neque ipse intellego neque interpretes docent. Vocem sine dubio depravatam Baehrensius primus ope critica temptavit, qui rem, quae subest, sensumque coniectura sua ,totos' sibi videbatur assecutus esse. Nec tamen ipse ea acquievit. Etenim cum sententiarum conexus aliud quid non solum tolerare, sed etiam postulare videretur, alterum remedium idque me quidem iudice multo melius proposuit ,saluos.'

Alterius autem coniecturae Baehrensianae sensum et vim aucupatus Polsterus[1]) isto propius ad codicum vestigia accedere conatus est invento suo ,soldos', quo ,optime exprimi notionem adiectivorum totus sive integer loco nostro desideratam' putat. Sed adiectivum ,soldos' sive ,solidus' licet illam notionem locis quibusdam induere non negaverim, tamen num loci nostri sententiae, quam

---

[1]) Quaest. Stat. Part. I. Progr. Wongrowitz. 1878.

quidem Baehrensius et Polsterus esse fingunt, opportune respondeat, admodum dubito. Nam de omnibus illis adiectivis: totus, cunctus, solidus, aliis praecipue respiciendum esse constat, e qua primaria vi secunda illa significatio ,totus', ,integer' iis fluxerit, quidque e re et sententia iis sit contrarium atque oppositum. Itaque loco nostro, quo de mutilandis vulnerandisque pueris sermo est atque vox notione adiectivis ,saucius', ,truncus', ,laesus', aliis contraria et adversa praedita exspectatur, ,solidus', quod firmitatem densam cohaerentiamque concretam significat, prorsus est alienum. Neque mirum, quod Polsterus exemplis, quae ex Hor. Sat. I 2, 113 et II 5, 65 petivit, non tam adiuvatur, quam redarguitur.

Quid vero opus est pluribus ad utrumque commentum et ,totos' et ,soldos' refutandum, cum quae sit vera loci sententia, altera Baehrensii coniectura ,salvos' luculentissime innuat? Quae quanto illis magis loci nostri condicioni et sensui conveniat, et sententiarum tenor resque narrata optime docent et ipsius carminis verba haud pauca demonstrant, velut v. 70: ,concussum vulnere corpus', v. 72: ,pueri dolores', v. 74: ,intactos servare mares', ,frangere sexum.' Nec tamen eam poetae verbis ausim inserere, quia iusto longius a memoriae vestigiis recedit. Quapropter synonymon quoddam **,sanos'** praetulerim Statioque vindicaverim, utpote quod minimam eamque facillimam litterarum traditarum ductuum mutationem desideret. Nam cum haec vox in MSS. sic exarata fuerit *,sāos'*, virgula supra vocalem *a* scripta omissa sive potius cum altero eius ductu in unum confusa est. Quo facto quid in spatii angustiis librario cuidam esse potuit opportunius, quam litteram *a* in partes singulas discerpere et vocem ,solos' effingere? Sanus vero non solum is dicitur, qui bona valetudine utitur, vel qui integer et liber a morbo vulneribusque est, quae notio vel per se ipsa loco nostro egregie convenit, sed etiam is, qui integris est membris et omni corporis vitio vacat. Cf. Gell. IV 2: ,Quaerebant, num sanus esset, cui dens deesset, qui non longe videret et mulier sterilis.'

Propert. II 9, 12: ,Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit;' ibid. III 23, 18; Juvenal. X 356: ,Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano;' ibid. VI 234. Ovid. Fast. I 506; Amor. II 19, 11; Remed. Am. 621; ex Ponto I 3, 12; Horat. Sat. I 4, 129.

Quodsi praeterea vim usumque adiectivorum ,salvus' et ,sanus' componimus perpendimusque, hoc ea quoque de causa nostro loco mihi praeferendum videtur, quod ,sanus' de corporis valetudine et integritate, ,salvus' de vita superstite praecipue dicitur.

III 5, 49 et 50.

V. 48: ,Questa est Aegiale, questa est Meliboea relinqui
Et quamquam saevi faecerunt maenada planctus.
Nec minor his tu nosse fidem uictamque maritis
Reddere. Sic certe cineres umbramque priorem
Quaeris adhuc etc.'

Summam versus 49 difficultatem in voce ,quamquam' positam esse videmus. Gevartius eam disiunxit et scripsit: ,Et quam (quam saevi!)', Cruceus vero: ,Et quam tam saevi.' Quas utriusque nugas esse veramque memoriam vulgatam et sic explicandam Gronovius Diatr. c. 35 demonstrare his studuit: ,Aegiale relinqui se questa est, questa est etiam Meliboea: et planctus ob desertionem, quanquam tristes saevique, fecerunt Maenada aliquam, nempe Ariadnen. Inter planctus et lugubrem eiulatum deprehensa a Libero patre Cnossis Maenas facta est, h. e.: in comitatum et torum Liberi adscita.' In hac Gronovii sententia, quidquid contra dicit Marklandus, id mihi videtur certissimum esse, quod iste Elench. Antidiatr. c. 5 confessus est: ,de nulla alia, quam de Ariadne Statium capi posse;' i. e. sub voce ,quamquam' sine dubio depravata nomen aliquod proprium Ariadnae sive significa-

tionem quamlibet ad istam spectantem latere.[1]) Itaque non solum Marklandi ipsius commentum: ,Et cuius (quoius) saevi ferierunt Maenala planctus', qui quaenam ista herois Arcadica fuerit ambigit, propter nimiam mutandi licentiam sententiaeque obscuritatem repudiabimus, sed ne Koestlinii[2]) quidem coniecturam, qui Marklandi mutationibus probatis omnibus Atalantes questus et planctus esse intellegendos censet, pluris faciemus, cum Atalante non a coniuge vel amato suo fuerit derelicta, quae res loci nostri condicione necessario efflagitatur, sed a filio Parthenopaeo.

Eadem fere coniciendi via perobscura Duebnerus[3]) est ingressus, qui pro verbis ,Et quamquam' scribi maluit nomen ,Aemoniam'. Quod denique ad Queckii[4]) Imhofiique[5]) loci interpretandi rationem attinet, qui ,quamquam' a pronomine ,quisquam' vel ,quisquis' derivandum versusque 49 sententiam vel sic concipiendam: ,et si quam aliam uxorem saevi planctus maenada fecerunt' vel his complectendam esse censent: ,et quamcunque aliam amore ardentem saevi planctus in furorem dederunt, velut Didonem, Laodamiam, Alcyonam, alias,' mihi quidem eiusmodi dicendi genus languidissimum et a Statii ingenio et componendi facultate tam alienum videtur, ut me absurditatem pluribus aperire pudeat.

Verumtamen nos exemplum aliquod tribus illis superioribus accommodatum investigantes, quo Claudiae uxoris fides etiam magis illustretur, voce ,maenada', qua nulla est verior, ad duas heroides revocamur, quae ab uno

---

[1]) Huic sententiae M. Hertzius quoque adstipulatus est, qui illud ,quamquam' dittographia ortum esse ratus versum 49 ita restituendum censuit: ,Et quam (vae!) saevi fecerunt maenada pl.,' coll. Verg. Eclog. IX 28: ,Mantua vae! miserae nimium vicina Cremonae' et Silv. V 2, 65.

[2]) Philol. vol. XXXVI p. 180.

[3]) Cf. Duebn. edit. adnot. ad h. v.

[4]) Edit. praef. pag. XXI.

[5]) De Silv. St. cond. crit. p. 33.

eodemque amatore miserandum in modum desertae Bacchi coniuges sunt factae sive in ‚maenadum' numerum receptae: nempe Ariadne eiusque soror Phaedra. Itaque cum loci nostri difficultatem nisi nomine proprio inserto enodari non posse mihi persuaserim, restituendum propono:

‚Et **Cressam** saevi fecere maenada planctus'

Intellegenda autem est Ariadne ipsa, quae eodem nomine a Statio Silv. II 6, 25 ornatur:

. . . . . ‚non talem Cressa superbum
Callida sollicito revocavit Thesea filio;'

Ovid. Amor. I 7, 15:

‚Talis periuri promissaque velaque Thesei
Flevit praecipites Cressa tulisse notos.'

Neque longius a librorum vestigiis recedemus, si reponemus:

‚Et **Phaedram** saevi fecere maenada planctus;'

de qua imprimis conferendus est Ausonii Idyll. VI v. 32:

‚Respicit abiectas desperans Phaedra tabellas;'

Ovid. Fast. VI 737:

‚Notus amor Phaedrae, nota est iniuria Thesei.'

Verg. Aen. VI 445:

‚His Phaedram Procrimque locis maestamque Eriphylen
Crudelis nati monstrantem volnera cernit
Euadnenque et Pasiphaen.'

Alterum mendum latet in v. 50, ubi antiquiores libri exhibent ‚uictamque', novicii contra e doctorum Italorum coniectura ‚uitamque', quod Domitius in ‚firmamque', Heinsius in ‚totamque' mutaverunt. Baehrensius vero memoriae magis consuluit, cum in textum recepit ‚inuictamque'. Attamen neque huius vocis notio enunciati sententiae omnino videtur convenire nec mutatio tam facilis est, quam si e mea coniectura **‚iunctamque'** scribamus, ut hic sensus exsurgat: Tu nec minor es illis heroidibus aut novisse vel animo comprehendisse fidem, aut (id quod

gravius) fidem eam, quam iunxisti, maritis reddere,[1]) id e. invicem, ut decet, praestare. Dativus autem ,maritis' non minus participio ,iunctam', quam verbo ,Reddere' subiungendus est. Cf. Theb. XII 378:

,Iunge, age, iunge fidem, proles ego regis Adrasti.'

Senec. Thyest. 480:

. . . ,ante cum flammis aquae
Cum morte vita, cum mari ventus fidem
Foedusque iungent;'

ibid. Oct. 694:

. . . . . ,Caesari iuncta es tuo
Taeda iugali.'

Silv. I 2, 189 et V 1, 44. Verg. Aen. XII 822. Ovid. Heroid. XX 212 et 215.

III 5, 64.

V. 63: ,Sic certe formaeque bonis animique meretur;
Sive chelyn complexa petit, seu voce paterna
Discendum Musis sonat et mea carmina flectit.

Iure Marklandus istud ,petit' his labefactat: ,Si complexa est chelyn, iam in manibus habet; ergo quodnam opus est, ut petat? nisi dicatur, ,petere' idem esse, quod pulsare; quod, opinor, vix concedetur.' Itaque

---

[1]) Equidem vulg. lectionem ,Reddere' v. 51 retineo; codd. vero Vratisl. et Paris. (ad marg.) et ed. Parm. exhibent ,Dedere', quod verbum Baehrensius tanquam optimorum codicum memoriam in textum recepit neque tamen in apparatu critico, perinde ac si nulla inter singulos libros intercederet dissensio, de hac re quidquam adnotavit. Vulgata autem lectio ,Reddere' ad locum nostrum egregie quadrat. Nam reddendi verbum non solum pariter ac ,restituere' de eo dicitur, quod quis ante iam possederat, sed etiam haud raro de eo, quod alicui debitum meritumque praestatur.

Cf. Horat. Art. poet. 315: ,ille profecto Reddere personae scit convenientia cuique; ibid. v. 9. Epist. II 1, 216: ,Verum age et his . . . . . curam redde brevem.' Quintil. X 1, 62. Silv. V 5, 45; Ovid. Met. VI 308 et XIII 372; alia.

loco corruptela laboranti succurrit Peyraredi coniectura ,ferit' revocata.

Qua emendatione licet difficultas memoriae manifesta sit expedita locutioque poetis familiarissima restituta, tamen num verum genuinumque Statii verbum in lucem prodierit, est, cur dubitemus. Silv. II 2, 144 enim locus exstat nostro simillimus:

,Seu nostram quatit ille chelyn seu dissona nectit
Carmina sive minax ultorem stringit iambon.'

Quo fretus contendere audeo nostro quoque loco pro tradito ,petit' scribendum esse **,quatit'**. Cf. Achill. II 442:

. . . ,nec maior in istis
Sudor, Appollineo quam fila sonantia plectro
Cum quaterem priscosque virum mirarer honores.

Verg. Georg. IV 64; Ovid. Amor. III 12, 40. Martial. XI V 54.

Epist. l. IV vv. 41—42.

Sub finem epistulae libro Silvarum quarto praemissa in codd. haec verba leguntur: ,Hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes et si videtur hactenus, sin (ed. pr. ,sim') minus, reprehendemur'. Verba extrema in cod. Vrat. ita sunt exarata ,defendes & ſi uidet̃ hacten' ſin minus rẽphendemur.'

Quae epistulae pars extrema interpretes nonnihil sollicitavit, nam quo referantur quidve sibi velint verba ista ,et si videtur' et quae seqq. clare perspici non potest. Alii ea aliter interpretantur: Barthius: ,Si defendes, bene habet, sin minus, tamen obnoxii erimus reprehensioni;' Marklandus: ,Et si ita tibi videbitur, hactenus nec ultra huiusmodi scripta edam: sin minus, i. e. si volueris me pergere, reprehendamur; (ita enim legendum, non ,reprehendemur'), non ego invidos et malevolos curabo; reprehendant, si velint; ego pergam.'

Hae interpretandi rationes inter se tam dissentientes magis idoneae sunt, quibus locus difficilis obscuretur, quam

illustretur. Itaque Maduigius mutatione aliqua opus esse ratus locum ita temptavit: [1]) ‚Hunc tamen librum tu, Marcelle, defende, sed, si videtur, hactenus, si nimis reprehendemur,' coniecturamque suam his explicavit: ‚Contra nimiam tantum reprehensionem defendi se cupit, lenem et mediocrem aequo animo subiturus.'

Qua emendatione verba certe sensum aliquem obtinent; attamen ambigitur, an verum. Exceptio enim illa: ‚sed, si videtur, hactenus' per se suspecta et mira, praesertim in extrema epistula, cum nihil amplius addatur, licet ex veterum litteras claudendi more exspectetur, nimium habet artificiosi et abrupti. Tum genus dicendi ipsum in angustiis quibusdam videtur versari neque oratio eleganter procedere; nam maiore distinctione post ‚hactenus' facta verbisque, quae sequuntur, deletis, nemo quidquam ex sententia suspicabitur deesse. Idem Baehrensius quoque videtur sensisse, qui Maduigii vestigia secutus verba corrupta hunc in modum concepit: ‚hunc tamen librum tu, M., defendes, si videtur, set hactenus, si nimis reprehendemur.'

Attamen utraque coniectura vocum ‚sin minus', in quibus omnes libri consentiunt, quaeque omnium maxime videntur esse genuinae, cum ipsae verbo ‚reprehendemur' antepositae aliud quoddam idque multo scitius reique et isti verbo ipsi commodius antitheton inchoaturae sint, propria forma ac vis delentur. Ad summam: locum sic restituo:

‚Hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes, et, si videtur, **laudemur**; sin minus: reprehendamur.'

En habes sententiam tum concinniorem et teretiorem, tum multo dilucidiorem atque epistulae clausulae magis accommodatam. Poeta enim librum suum a Marcello defensum iri pro certo habet, laudem vero aut reprehensionem arbitrio voluntatique amici lectorumque committit.

---

[1]) Advers. crit. vol. II p. 161.

Emendationi meae denique peroratio epistulae libro alteri praemissae simillima favet, ubi legimus: ‚Haec qualiacunque sunt, Melior carissime, si tibi non displicuerint, a te publicum accipiant; si minus, ad me revertantur.' Cf. etiam epistulae l. III clausulam.

IV 1, 9.

V. 5: ‚Exsultent leges Latiae, gaudete curules;
Et septemgemino iactantior aethera pulset
Roma iugo; plusque ante alias Evandrius arces
Collis ovet: subiere novi palatia fasces
Et requiem bis sextus honos, precibusque receptis
Curia Caesareum gaudet vicisse pudorem.'

Interpretes veteriores in verbis ‚bis sextus honos' offenderunt, quibus Domitiani consulatuum numerum indicari perperam putabant, velut Cruceus, qui coniecit: ‚Et requiem vix sensit honos', donec Gronovius ‚duodecim fascium et lictorum esse honorem proprium consulatus insigne' recte monuit.

Nihilominus v. 9 corruptela pessima videtur latere; itaque Marklandus, constructionem exinde vulgatam: ‚Et bis sextus honos gaudet vicisse requiem, et curia precibus receptis gaudet vicisse Caesareum pudorem' suo iure his sollicitavit: ‚Cuius requiem vicit consulatus?' ‚Caesareum,' opinor, dicent, repetendam ex versu proximo. Durum quidem hoc nec tolerabile iis, qui numeros et compositionem Statianam callent, secundum quam sententia perfecta esse debet post vocem ‚honos'; et ita quidem est: ausim enim polliceri Statium scripsisse: ‚Et rediit bis sextus honos.''

Qua sententia me quidem iudice nihil verius rectiusve. Accedit autem, quod etiam sensus laborat. An quisquam cogitare potuit aut pronuntiare ausus est Imperatorem consulatus honore tunc satis inani repudiato otio et requie frui potuisse tanquam hominem privatum? Medelam vero

in promptu habeo facillimam. Voce enim ‚requiem' extrusa locum sic restituo: ‚Et **regimen** bis sextus honos' atque post vocem ‚honos', ut par est, distinguo. Proinde verba sic construenda sunt: ‚novi fasces subiere palatia et hic bis sextus honos subiit imperium sive imperatorem,' utrumque enim tolerat sensus. Emendationem meam usus vocis ‚regimen' comprobat; de quo cf. Theb. XI 655:

. . . . . . ‚Pro blanda potestas
Et sceptri male suadus amor! nunquamne priorum
Haerebunt documenta novis? iuvat ecce nefasto
Stare loco regimenque manu tractare cruentum;'

ibid. XII 89 et IV 536. Juven. XVI 54; Lucan. VII 126 et IX 345. Senec. Phoeniss. 1. Liv. IV 31, 5: ‚nihil censoria animadversio effecit, quominus regimen rerum ex notata indigne domo peteretur'; Val. Max. I 1, 9; alia.

IV 2, 6.

V. 1: ‚Regia Sidoniae convivia laudat Elissae,
Qui magnum Aenean Laurentibus intulit arvis,
Alcinoique dapes mansuro carmine monstrat,
Aequore qui multo reducem consumpsit Ulixem.
Ast ego, cui sacrae Caesar nova gaudia cenae
Nunc primum dominaque dedit consurgere mensa,
Qua celebrem mea vota lyra, quas solvere grates
Sufficiam?'

Verbum ‚consurgere' v. 6 Marklando corruptelae suspicionem iure iniecit, nam ab omni urbanitate dicendique elegantia, ne dicam ratione alienum videri possit, si poeta carmen suum eucharisticum, quod vocatur, ingressus, honorem illum summum atque gaudium, quod ab imperatore ad cenam sacram erat ascitus, hac in re potissimum fuisse positum profiteatur, quod sibi Caesaris mensa surgere epulasque relinquere licuerit, quasi huius copiae facultatisque desiderio iamiam tabuisset. Ineptum igitur sine dubio hoc dicendi genus est iudicandum emendationeque tollendum.

Quas Marklandus protulit duas: Alteram facillima mutatione assecutus est ,non surgere' coniciens, quod dicendi genus interpretatur idem significare atque ,assidere mensae'. At mirum quantum virum sagacissimum acumen fefellit, utpote quem vv. 15—17 ab ipso ad coniecturam suam stabiliendam allati commodissime redarguant. Loco enim huius eclogae inferiore poeta attingit morem, quo omnes coram principe assurgere oportebat. Itaque cum de sedente sive potius accubante Statio sermo sit, litotes ista ,non assurgere' rei luculentissime convenit. Nostro autem loco poeta nondum accubans perhibetur, immo talis, qui demum ad cenam accedit assidendi accumbendive copia honoratus. Neque Marklandum ipsum haec difficultas, cum alteram suam medelam ,considere mensa' forte veriorem esse suspicetur, prorsus fugit. Atque profecto hanc coniecturam pluris faciemus Baehrensianaeque ,concumbere' praeferemus vel hac de causa, quod concumbendi verbum nisi de concubitu non adhibetur. Sed ne in Marklandiano quidem ,considere' acquiescemus, cum longius a memoriae vestigiis recedat. Verumtamen me ipsum melius palaeographiae rationibus consuluisse spero hac coniectura: ,dominamque dedit **contingere** mensam'. Contingendi enim verbi vis, sive ,mensam' propria notione ornatam, sive translate cibos intellegimus, et rei ipsi et poetae modestiae verecundiaeque probe respondet. Cf. Verg. Aen. VI 605:

. . . . ,Furiarum maxima iuxta
Accubat et manibus prohibet contingere mensas;'

ibid. II 239. Ovid. Met. III 409; XIV 606; V 531; XV 281; Fast. III 335. Horat. Sat. II 3, 113. Propert. I 8, 43. Lucan. II 81.

Eadem, quae nostro loco, reverentia in contingendi verbo inest Silv. III 4, 61 seqq. et V 3, 275.

Erroris vero originem fuisse hanc suspicari licet: Virgulis verborum ,dominā que' et ,mensā' finalem litteram ,*m*' significantibus omissis ablativisque inde natis suaden-

tibus a librariorum consuetudine non adeo abhorrebat, quin alterum verbum litterarum ductibus haud ita dissimile irreperet, praesertim cum verbum supra positum ‚consumpsit' librarii oculos a genuino verbo avocaret depravationique ‚consurgere' nonnihil faveret.

IV 4, 66.

V. 64: . . . ‚Nec enim tibi sola potentis
Eloquii virtus: sunt membra accommoda bellis
Quique gravem tarde subeant thoraca lacerti:
Seu campo pedes ire pares, es agmina supra
Nutaturus apex; seu frena sonantia flectes
Servit asper equus.'

V. 66 aut lacuna aut corruptela manifesto est depravatus emendationemque aliquam efflagitat, nam adverbium istud ‚tarde' ad orationis laudes et ‚membra accommoda bellis' minime quadrare, eclogam hanc qui legerint, consentient. Lacunam, quam subesse Barthius suspicabatur, ita explere conatus est, ut ‚intarde' vel ‚haud tarde' scribendum sibi persuaderet. Sed forma adverbialis ‚intarde' propter id ipsum spernenda videtur, quod ab usu sermonis latini prorsus abhorret. Alterum autem inventum Barthianum ‚haud tarde', emendandi ratione satis vili natum, quod a Baehrensio verborum perpetuitati est insertum, tum palaeographiae parum habet commendationis, tum re sententiaque loci ipsa destituitur. Litotete enim illa admissa non solum dicendi genus nimis languescit, praesertim cum subeundi verbum adverbio facile careat, sed etiam ‚lacerti' et propter superioris versus aequalitatem et secundum totam poetarum illius aetatis versuum componendorum rationem, epitheton aliquod utique requirunt idque ea notione praeditum, qua non tam celeritas thoracis induendi, quam portandi facultas cum artuum formositate coniuncta efferatur. Proinde eadem res obstat (de aliis

difficultatibus liceat taceam), quominus O. Muelleri[1]) commentum ,subeant arte' laudemus.

Ut Marklandus, ita etiam Kochius[2]) probe sentit in hoc omnia verti, ut adiectivum aliquod superiori illi ,accommoda' exaequandum indagetur. Sed neque huius ,grandes' nec Marklandi ,validi lacerti' palaeographiae rationibus tam sufficiunt, quam si ex mea coniectura **,teretes'** substituemus. Quam vocem mihi imprimis Sueton. Caesar. c. 45 suggessit, ubi legimus: ,Fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibusque membris, ore paulo pleniore, nigris vegetibusque oculis, valetudine prospera.' Notabilem vero inter hunc et nostrum locum intercedere similitudinem cognoveris, si non modo versus, qui proxime sequuntur, sed etiam vv. 8 et 9 eclogae nostrae composueris:

,Illic egregium formaque animisque videbis
Marcellum et celso praesignem vertice nosces.'

Catull. 61, 176: ,bracchiolum teres'. Horat. Carm. II 4, 21: ,Bracchia et voltum teretesque suras Integer laudo'; eiusd. Ep. XI 28. Ovid. Art. am. I 622. Lucret. I 35. Stat. Achill. I 609. Verg. Aen. VIII 633.

IV 5, 11.

,Nunc cuncta veris frondibus annuis
Crinitur arbos, nunc volucrum novi
Questus inexpertumque carmen,
Quod tacita statuere bruma.'

Marklandus vocem ,veris' his sollicitat: ,Frondibus annuis veris' ferri non potest, cum satis fuisset dixisse ,frondibus annuis crinitur arbos.' ,Vernis frondibus' optimum esset; sed quid tum fieret τῷ ,annuis'. Itaque ,vernans' legi mavult.

---

[1]) Quaest. Stat. Berol. 1861. p. 30.

[2]) L. c. p. 15.

Baehrensio contra arrisit ,veri', quod tamen particula ,Nunc' non minus dissuadere videtur, quam temporis quamlibet aliam significationem. Quodsi praeterea vocis ,veris' formae et naturae ambiguitatem perpenderimus, adiectivum **,vivis'** revocare frondesque recentes intellegere non dubitabimus. Quo facto ,vivae frondes' et ,volucrum novi questus' egregie sibi respondebunt. Cf. Calpurn. Sicul. Buc. Ecl. V 98:

,Incipe falce nemus vivasque recidere frondes.'

Theb. VIII 298:

. . . ,geminas ergo ilicet aras
Arboribus vivis et adulto cespite texi
Imperat;'

cf. ibid. VI 259. Ovid. Met. IV 39 et 793; XIV 713; XIII 891:

,Vivaque per rimas proceraque surgit arundo.'

Martial. VI 49, 4; Verg. Georg. II 27.

IV 6, 45.

V. 43: ,Hoc spatio tam magna brevi mendacia formae!
Quis modus in dextra, quanta experientia docti
Artificis curis pariter gestamina mensae
Tingere et ingentes animo versare colossos!'

Vocem ,curis', quae unumquenque hos versus legentem magnopere turbat, suo iure Marklandus his in suspicionem vocat: ,Vix fieri potest, ut ita scripserit Statius; quippe deest epitheton τοῦ ,mensae', quod respondeat et opponatur τῷ ,ingentes colossos' in altero sententiae membro: hoc modo: ,pariter fingere gestamina parvae mensae et versare animo ingentes colossos.'' Accedit, quod ablativus verbis praecedentibus: ,quanta experientia docti artificis' adiunctus non modo prorsus inutilis est et supervacaneus, sed dicendi rationem etiam putidam tumidamque reddit Statianaeque elegantiae foedissime obtrectat. Itaque quaecunque vox sub isto ,curis'

latet, certe de superioribus verbis detrahenda et enunciato proximo eo magis applicanda est, quod hic epitheton quoddam desideratur.

Vocem vero genuinam ut e codicum memoria elicerent, nec Marklando ,curtae' conicienti nec Baehrensio ,cursim' in textum recipienti contigit. Neque tamen utriusque coniecturam pluribus refellere iuvat; immo id unum duco monendum emendandi viam a Marklando initam esse solam, qua ad verum pervenire possimus.

Quam ingressus haud invita Minerva mihi videor coniecisse **,tenuis'**, quo ,mensae' subiuncto ea, quam Marklandus iure desiderabat, sententia membrorumque aequalitas nascuntur. Tum loco nostro etiam epithetorum enallage, quam vocant, animadvertenda est. Epitheton enim illud ,tenuis' non tam ad ,mensam' proprie referendum est, quam ad ,gestamina', qua ratione fit, ut adiectiva ,tenuis' et ,ingentes' optime sibi respondeant.

Depravationis autem origo in propatulo est: ,tēuis' enim, cum litterae *,t'* et *,c'* in MSS. vix possint dignosci ceterique litterarum ductus totidem iique simillimi sint, omisso apice supra litteram *,e'* ducto facillime in ,curis' abiit.

De usu vocis ,tenuis' cf. II 4, 35: ,tenues plumae'; III 1, 82:

,Stabat dicta sacri tenuis casa nomine templi.'

IV 3, 53; IV 9, 41. Horat. Carm. I 6, 9: ,Conamur ,tenues grandia;' ibid. II 16, 16: ,paternum Splendet in mensa tenui salinum.' Catull. 68, 49. Ovid. Art. am. I 161 et III 232. Martial. XIV 3 et VIII 70, 5: Val. Flacc. Argon. I 128 et VI 225.

IV 6, 98.

V. 96: ,Hic igitur tibi laeta quies, fortissime divum
Alcide, nec bella vides pugnasque feroces,
Sed chelyn et vittas et amantes carmina laurus.

Hic tibi sollemni memorabit carmine, quantus
Iliacas Geticasque domos quantusque nivalem
Stymphalon quantusque iugis Erymanthon aquosis
Terrueris.'

Inscitam hanc vocum ,carmina' et ,carmine' repetitionem tam nullo intervallo interiecto iure dicit Marklandus vixque a Statio profectam. Altera nimirum forma est mendosa; attamen ambigi potest, utra sit exterminanda. ,Carmine' v. 99 recte habere Theb. VII 289: ,Bellaque perpetuo memorabunt carmine Musae' evinci Marklandus probe animadvertit, idemque mihi ipsi eo facilius persuadetur, quod v. 99 carminis significatio, qualiscunque excogitari potest, necessario desideratur, cum versu superiore neque sensus eam omnino requirat et Marklandi coniectura ,tempora', sententiae optime accommodata, laurus alias quoque res praeter carmina amantes fingi posse, luculentissime doceamur.

Haec Marklandi coniectura, quae, non sine consilio facta, audaciae reprehensione quadam premitur, Baehrensio ne memoratu quidem digna videbatur. Quae res non prohibuit, quominus alterum Marklandi inventum ,pectine', quod ne auctori quidem ipsi placebat, sibi assumeret versuique 99 insereret.

Ex iis igitur, quae attuli, lucide apparet periculum esse, ne operam et oleum perdamus, nisi ,carmina' v. 98 deleamus vocemque cum superioribus ,chelyn' et ,vittas', quoad eius fieri possit, artissime vi naturaque sua coniunctam substituamus. Quod postulatum praeclare **,stamina'** explent, quod vocabulum, cum de quolibet filo adhibeatur, non solum lyrae chordas, sed etiam vatum vittas nostro loco significare potest atque hac sua ampla notione maxime idoneum se praebet, quo ,chelys et vittae' ante memoratae comprehendantur et repetantur. Huc accedit, quod ,stamen' vel propter hanc vim carminis ipsius notionem haud raro induit, de qua re Petrus Burmannus Secundus ad Propertii II 1, 9:

,Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis
Miramur, etc.'[1])

ubi Heinsius ,stamen' maluit, fusius disseruit locumque Ovid. Met. XI 168:

. . . . ,tenet manus altera plectrum;
Artificis status ipse fuit; tum carmina docto
Pollice sollicitat,'

cui editoris ipsius patruus ,stamina' pariter vindicare studuit.

,Stamen' significat ,infulam' sive ,vittam' apud Propert. V 2, 51 et Sil. Ital. III 25.

Nervi contra lyrae sunt intellegendi in veteris cuiusdam poetae epigrammatis[2]) versibus his:

,Musica contingens subtili stamina pulsu
Ingreditur, vulgi auribus ut placeat.'

Palaeographiae denique ratio emendationi meae tam impense favet, ut de erroris origine plura addere opus non sit.[3])

IV 9, 24.

V. 23: . . . ,Usque adeone defuerunt
Caesis pillea sicca de lacernis
Vel mantelia luridaeve mappae,
Chartae Thebaicaeve Caricaeve?'

V. 24 libri Sangallensis apographum exhibet ,sicca', ed. princ. et codd. novicii ,suta', Parm. denique ed. ,sūpta'. Haec lectionum varietas vel ipsa corruptelae suspicionem movet. Qua ne prima quidem versus vox ,Caesis' caret, cui haud scio an nullum afferat adminiculum Silv. II 2 v. 90. Itaque Heinsius primus traditum ,Caesis' altero participio ,Scissis' proferendo temptavit,

---

[1]) Edit. a. Laur. Santenio a. 1760 curatae p. 204.

[2]) Anthol. veterum Latin. epigr. et poem. ed. Burm. l. III epigr. CLXXXI (T. I p. 624).

[3]) Cf. etiam Heinsii adnot. ad Claudiani In Eutrop. II 458.

a Marklando et Baehrensio laudatus. Polsterus[1]) autem voce ,Cassis' ,inanitati doni iocularis optime consultum esse' sibi persuasit. At hoc adiectivum toto caelo a loco nostro abhorrere cum ipsius notio docet, tum exempla a Polstero allata, velut ,cassa glans', ,cassum granum' maxime arguunt.

Equidem voci ,**Crassis**', quam de meo iamiam profero, patrocinor et Polsteri alterius mendi emendationem ,secta', in quam ipse quoque incideram, comprobo. Quo facto sensus, quem Polsterus recte huic loco vindicavit, luce clarior exsurgit. ,Crassae' videlicet ,lacernae' non solum viles parvique pretii erant, sed etiam maxime idoneae, unde pillea secarentur. Cf. Mart. VIII 58:

,Cum tibi tam crassae sint, Artemidore, lacernae,
Possim te sagarum iure vocare meo.'

Horat. Sat. I 3, 13:

. . . . ,modo sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri et toga, quae defendere frigus,
Quamvis crassa queat.'

Cf. denique Juvenal. IX 28—31:

. . . . . . ,at mihi nullum
Inde operae pretium. pingues aliquando lacernas,
Munimenta togae, duri crassique coloris,
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus.'

V 1, 19.

V. 18: Sed cum plaga recens et adhuc in vulnere primo
Nigra domus questu miseramque accessus ad aurem
Coniugis orbati, tunc flere et scindere vestes
Et famulos lassare greges et vincere planctu[2])
Fataque et iniustos rabidis pulsare querelis
Caelicolas solamen erat.'

Verba ,miseramque accessus ad aurem Coniugis orbati' Marklandus se non intellegere fassus iure male

[1]) Quaest. Statian. part. I.
[2]) Sic Grasbergerus (l. c. p. 776) restituit; libri: ,planctus'.

affecta esse suspicabatur. Poeta enim, qui rationem excusationemque quaerit, cur altero demum anno post Priscillae funus celebratum summo Abascanti dolori seram carmine suo struat medicinam, luctus recentis ex uxoris dilectae morte capti acerbitatem atque insaniam premit atque cum mariti vidui tristitia anni spatio aliquantulum lenita comparat. Prioris igitur doloris acie obtusa fieri potuit, ut poetae verba solantia pronis auribus ab Abascantio exciperentur, cum antea ‚flere et scindere vestes et quae seqq. solamen' esset solum.

Ad hanc vero sententiam vocem ‚miseram' omnino nihil valere in propatulo est. Nam praeterquam quod unicuique luctus statui pariter convenit minimeque acerbissimi doloris, quo Abascantius afflictabatur, propria potest dici, neutiquam videtur idonea esse, qua poetae tam diuturnum silentium excusetur (quamvis omnia in hac ipsa ratione verti appareat) atque Abascantio probetur, quare tunc non fuerit e re, ut carminis solacium afferatur.

Quae cum ita sint, neque Imhofius[1]) loci qui sit sensus, vidit, neque Baehrensii et Kochii coniecturae, quorum alter

‚Aegra domus, questu misero hautque accessus ad aurem'

in textum recepit, alter

‚miser atque accessus ad aures'

scribendum proposuit, pluris faciendae sunt.

Statius vero nihil aliud concipere potuit, nisi haec:

‚**surdam**que accessus ad aurem.'

Nimirum in hac sententia posita sunt omnia, ut quae differentia inter utramque Abascanti luctus condicionem intercedat perspiciatur excusandique poetae ratio probabilis proferatur. Prima enim doloris acerbitate nullus poetae consolacioni aditus patebat nisi ad amici aures surdas obtusasque; quae anni spatio intermisso proniores facilioresque sunt factae, quanquam Abascantius miser miserandusque

[1]) De condic. crit. p. 13.

videri adeo nondum desiit, ut poetae epicedii solacio dignus et indigens videretur.

Emendationi meae plurimorum locorum similitudo favet maxima, ut II 1, 5:

,Cum iam egomet cantus et verba medentia saevis
Confero, tu planctus lamentaque fortia mavis
Odistique chelyn surdaque averteris aure.'

V 3, 17. Theb. IX 723; XII 200. Ovid. ex Ponto II 9, 25:

,Juppiter oranti surdas si praebeat aures;'

Amor. III 7, 61:

,Quid iuvet, ad surdas si cantes Phemius aures?'

Ibid. I 8, 86; ex Ponto II 8, 28; Heroid. VII 27; Tibull. IV 14, 2; Propert. II 13, 36 et 43; II 16, 13.

V 2, 61.

V. 58: . . . . ,Bibe talia pronis
Auribus, haec certent tibi conciliare propinqui,
Haec iterent comites praecepta senesque paterni.
Iamque alio moliris iter nec deside passu
Ire paras; nondum validae tibi signa iuventae
Irrepsere genis, et adhuc tenor integer aevi.'

Marklandus ,quinam essent v. 60 ,senes patris' se non intellegere' fassus corrigendum proposuit ,senesque petenti'. Verumtamen suo iure recentiores editores vocem ,senes' mihi videntur tueri, utpote in qua illius aetatis scriptorum propria notio animadvertenda sit. ,Senes' enim vel philosophi vel grammatici dicuntur, qui qua familiaritate nobilium Romanorum utebantur, non tam propter auctoritatem, quam vitae aetatem diuturnam, qua fere fruebantur, hanc significationem videntur accepisse. Itaque ut ,comites' ad rem militarem publicamque spectant, ita ,senes' ad artes litterasque probe referuntur. Cf. Sulpiciae Satir. 43 seq.

,Sic nostri palare senes dicuntur, et ipsi
Ut ferale suos onus exstirpare libellos.'

Stat. Silv. I 1, 102 et I 3, 94.

Nec tamen hic locus mendo vacat. Recte enim Heinsius in voce ,alio' offendit, quae et sententiarum tenori omnino adversatur neque habet, cui bene opponatur; cf. IV 4, 95 et 96. Heinsius igitur coniecit ,illo', quod a Baehrensio in textum est admissum. Attamen hac ratione importuna nascitur ambiguitas, utrum istud ,illo' ad ,rura Tyrrhena saltusque Tagetis', quae petens Crispinus v. 1 inducitur, an ad ea, quae v. 30 seqq. proferuntur, spectet. Accedit quod, quocunque hoc adverbium referendum censemus, maius intervallum intercedit, quam quod istud ,illo' possit amplecti.

Marklando autem placuit ,adeo', quod re vera passim apud poetas aeque ac particula graeca γέ vim addit vocabulis, quibus est adiectum. Equidem illud ,alio' ex ablativo **,animo'** (aĩo) depravatum esse suspicor, quem sententiarum conexus et imprimis ea, quae sequuntur, ,nec deside passu Ire paras' quodam modo desiderant. Dicendi enim genus ,iter moliri' de homine iamiam proficiscente fere adhibetur, ut Theb. VI 704; X 795; XII 770; Verg. Aen. VI 475; alii docent, cum loco nostro de profecturo potius ac consilium rationemque itineris animo volvente sit sermo. Sic etiam Vell. Paterc. II 46 dixit ,bellum in animo moliri'; cf. Silv. IV 6, 46: ,ingentes animo versare colossos' et innumera alia exempla.

V 2, 125.

,Ergo age (nam magno ducis indulgentia pulsat
Certaque dat votis hilaris vestigia frater)
Surge, animo et fortes castrorum concipe curas.'

Libri Sang. apogr. v. 125 exhibet ,magno', cod. Paris. autem ,magni', quam scripturam Baehrensius Domitio vindicat. De ed. pr. vero memoria editores dissentiunt, nam alteri alteram ei formam tribuunt. Utut res se habet, emendatio ,magni' non solum simplicissima est, sed etiam, ut ducem istum esse Domitianum intellegamus, necessaria;

,magnus' denique sollemnis epitheti imperatoris vice apud Statium fungitur, id quod docent Silv. III 1, 62; III 3, 183; II 5, 27; V 1, 164. Inde sequitur, ut Baehrensii coniectura ,magnum' vel per se ipsa sit repudianda, praeterquam quod artissime cum altera coniectura ,praestat', qua Baehrensius traditum ,pulsat' frustra temptavit, cohaeret. Nihilominus in codd. memoria ,pulsat' non acquiescemus; immo Marklando assentiemur, qui verbum pulsare, quod vim et violentiam denotet, propellendi significationem induere aut cum ,indulgentia' iungi posse recte negat. Exemplis ab ipso allatis, quibus pulsandi verbum a loci nostri sententia prorsus abhorrere docemur, adicere liceat mihi haec: V 3, 69 et 5, 78; V 1, 22; Theb. VI 228; VIII 618; XII 50; Achill. II 31.

Marklandus vero ipse primum ,poscit' restituendum proposuit; perperam: nam indulgentiae omnino nihil est cum postulandi munere. Idem vir doctus praeterea coniecit ,pergit'. Quo verbo sine dubio sententiae egregie consulitur, quia constantia et perseverantia praecipue in indulgentiae laudem cadunt, id quod non solum ratione evincitur, sed etiam Statii ipsius locis duobus: I 2, 174:

,Hunc et bis senos (sic indulgentia pergat
Praesidis Ausonii) cernes attollere fasces;'

et IV 4, 56:

,At tu, si longi cursum dabit Atropos aevi
(Detque precor!) Latiique ducis si numina pergent,
Forsitan Ausonias ibis frenare cohortes.'

Verumtamen verbi ,pergit' litterae iusto longius a codd. vestigiis recedunt. Itaque equidem **,perstat'** reponi iusserim. Cf. Ovid. ex Pont. I 4, 44:

,Ille domum redit, nos his moriemur in arvis,
Perstiterit laesi si gravis ira dei;'

ibid. IV 6, 7: ,Perstat enim Fortuna tenax;' Verg. Aen. V 812: ,Nunc quoque mens eadem perstat mihi.' Lucan. V 210; Ovid. ex. Ponto IV 9, 92: ,Ille vetus solito perstat in ore pudor;' Trist. IV 1, 20; Metam. XV 177; Heroid. XVIII 206.

V 2, 145.

V. 144: ‚Hic suetus dare iura parens, hoc cespite turmas,
Affari; uit(a)e speculas castellaque longe
(Aspicis?) ille dedit cinxitque haec moenia fossa.'

V. 145 codd. ‚uitae' sive ‚uitę' exhibent, in edd. autem vulgo ‚nitidas' invenitur praeter ed. Parm., quae ‚vides' praebet, unde N. Heinsius finxit: ‚viden has speculas'; Marklandus vero speculis epitheton aliquod aptum deberi ratus, ‚vigiles' scribendum proposuit a Queckio aliisque probatus. Baehrensius contra protulit ‚uicis'; sane haud ita male, sed vereor, ne hoc remedium non verum sit, cum speculae castellaque in montibus collibusve potius, ut res fert, poni soleant.

Equidem sine ulla fere mutatione restituo ‚late', quod adverbium et alteri synonymo suo ‚longe' in fine versus collocato egregie respondet et alacritati ac vigori sermonis, qui sine dubio Caledonis istius manus gestu adiuvabatur, eximie est accommodatum. Quod haec vocabula, quae vulgo artissime coniunguntur, hic dispesta sunt, eodem id referre non dubito. Cf. IV 4, 18. Verg. Georg. III 474:

‚Tum sciat aërias Alpis et Norica si quis
Castella in tumulis et Japydis arva Timavi
Nunc quoque post tanto videat, desertaque regna
Pastorum et longe saltus lateque vacantis.'

Ovid. Trist. III 10 55:

‚Hostis equo pollens longeque volante sagitta
Vicinam late depopulatur humum.'

Senec. Phoeniss. 628:

‚Licet arma longe miles ac late explicet;'

Nemes. Ecl. I 32; Verg. Georg. I 116.

V 3, 119.

V. 118: . . . . ‚etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia legit amictus
Stirpis honore datos et nobile pectoris aurum.'

V. 119 duobus mendis laborat, quorum alterum ,legit' Domitius coniectura sua ,adegit' rectissime mihi videtur correxisse. Baehrensius vero errori incassum opem ferre studuit verbo ,uidet' in textum recepto.

Restat autem altera loci difficultas adhuc expedienda. ,Ponere' enim secundum poetarum usum sibi constantem nihil aliud significare potest nisi ,exuere', ,deponere', ,dimittere' (cf. V 1, 135), cum verba ,divite ritu' vim contrariam requirant. In his vero insistere debet, quisquis huic versui emendando operam est navaturus. Nam Kochii coniciendi ratio, qui pro ,divite ritu' scribendum proposuit, ,limine primo', mihi nimis vilis ac levis videtur esse.

Sed ne Marklandianum quidem ,Sumere' potest probari; immo verbo **,Poscere'** me memoriae melius consulturum esse spero, utpote quo verbis ,fortuna parentum Artior expensis' argumentum et causa idonea afferantur. Cf. Silv. II 1, 213: ,hos bella, hos aequora poscunt'; videlicet poscendi vis in sumendi notionem abit: Theb: IX 621: ,Tela puer lacrimis et prima voce poposcit'; XII 261: ,rogos hospes planctumque et funera posco'; X 193:

. . . . ,vocat obvia virtus
Et poscit fortuna manus.'

Cf. denique Silv. III 3, 204 et V 5, 71, Theb. VIII 730; X 782; XI 721; XII 299 et 333. Hor. Carm. I 4, 12. Lucan. I 287; Mart. 3, 24, 11; Rutil. Itin. I 275.

V 3, 127.

V. 126: ,Te de gente suum Latiis adscita colonis
Graia refert Selle, Graius qua puppe magister
Excidit et mediis miser vigilavit in undis.'

,Graium magistrum' inepte dici Palinurum neminem fugit. Palinurum vero ipsum, Aeneae gubernatorem istum miserrimum, loco nostro esse intellegendum Marklandus uberrime ad hunc versum disseruit argumentationemque

suam his absolvit: ,Hoc igitur certissimum est, ,Graiam Sellen' esse Veliam, ,magistrum' hunc ,Palinurum'', et paulo infra: ,Recte autem ,Velia', qua ,Palinurus puppe excidit', quippe Palinuri promunturium erat iuxta Veliam.' Inde autem etiam sequitur loci illa significatione Palinurum a poeta satis superque denotatum minimeque gentis nomine ullo opus esse amplius, quod quidem viri docti huic versui inferre studebant, velut Avantius: ,Phrygius', Baehrensius: ,Troius', Koestlinius:[1]) ,Parius.'

Veram autem emendandi rationem inibimus, si ad primarium Papinii fontem eiusque insigne carminum componendorum exemplar, ad Vergilii Aeneida, nos retulerimus praecipueque locum, ubi Palinuri casus narratur, composuerimus. V 857 seqq. enim legimus haec:

,Vix primos inopina quies laxaverat artus
Et superincumbens cum puppis parte revolsa
Cumque gubernaclo liquidas proiecit in undas
Praecipitem ac socios nequiquam saepe vocantem;'

quorum versuum memorem Statium scripisse suspicor:

,Te de gente suum Latiis adscita colonis
Graia refert Selle, **pronus** qua puppe magister
Excidit et mediis miser vigilavit in undis.'

Cf. Aen. V 172 et 860 et 214 et 332; I 112:

,Unam, quae Lycios fidumque vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit: ,excutitur pronusque magister
Volvitur in caput;'

Ovid. Met. XI 791:

. . . . ,furit Aesacus, inque profundum
Pronus abit;'

ibid. I 376 et VIII 379; Theb. V 526; VI 902; IX 259; XI 688; Silv. V 1, 111; Sil. Ital. VII 216; XVII 44.

---

[1]) Philol. vol. XXXV p. 514.

V 3, 277.

,At vos, umbrarum reges aetneaque Iuno
(Si laudanda precor) taedas auferte comasque
Eumenidum; nullo sonet asper ianitor ore!'

Antiquissima v. 277 memoria exhibet ,aetneaque'; novicii vero codd. doctorum Italorum coniecturis infecti tradunt ,aeternaque' sive ,ęternaque'; Gronovio debemus ,Enneaque', quae coniectura per plurimas editiones est propagata.

Codd. scripturam ,aetneaque' in disceptationem vocare opus non est, nam Proserpinae, umbrarum reginae, quae loco nostro Junonis nomine a poeta compellatur, nihil cum Aetna monte esse liquet. Epitheton autem ,aeterna', cui Queckius indulget, cum per se ad Proserpinam laudandam parum facit, tum nostro loco, ubi Iunonis cognomine, Jovis uxori superorumque reginae proprio ac peculiari, ornatur, omnino perversum ineptumque est iudicandum. Nimirum vocem aliquam desideramus, qua haec Iuno inferna a Iunone superna ac vera commode distinguatur, quaque v. 277 inferorum Iunonem intellegendam esse quam clarissime moneamur. Quod fieri non potest, nisi hac ratione, ut non quodlibet Proserpinae epitheton usquam obvium investigetur, sed ut orci significatio quaedam proponatur. Itaque Gronovii coniecturam ,Enneaque' repudiare non dubitabimus, quia non Hennae Proserpina erat Iuno, sed apud inferos.[1]) Desideratam igitur orci significationem affectabant Kochius et Krause,[2]) quorum uterque ,infernaque' scribendum proposuit. Quae coniectura, quanquam ad sententiam optime quadrat, tamen hoc vitio laborat, quod non tam ad antiquissimae memoriae similitudinem, quam quidem l. Sang. et collationis et apogr.

---

[1]) Suo iure e. gr. Proserpina apud Lucanum VI 740 ,Ennea' appellatur, quia ibi deae istius cultus, qui Hennae erat celeberrimus, non vero, ut nostro loco, regnum infernum perstringitur.

[2]) Cf. theses dissert. ,De P. Statii comparationibus epicis.' Hallis 1871.

scriptura ,aetneaque' praebet, est conformata, quam ad huius ipsius depravationis, quae est ,aeternaque', rationem et speciem. Qua re factum est, ut etiam longius a verae memoriae vestigiis recesserit. Quam ipsam me assecutum esse spero voce ,letheaque', quod epitheton poetis est familiarissimum; cf. Colum. De re rust. X 271: ,Raptaque (sc. Cereris proles) Lethaei coniunx mox facta tyranni.' Lucan. VI 685:

,Tunc vos, Lethaeos cunctis pollentior herbis
Excantare deos.'

Stat. Silv. III 2, 112: ,Lethaeus ianitor'; ibid. V 3, 24: ,Lethaea ratis.' Claudian. Gigantom. 46; Rapt. Proserp. II 218; De Bell. Gild. 213—14; Tibull. III 5, 24. Horat. Carm. IV 7, 37—38. Senec. Oedip. 230.

V 5, 68.

V. 66: ,Non ego mercatus Pharia de pube loquaces
Delicias doctumque sui convicia Nili
Infantem, lingua simium salibusque protervum
Dilexi: meus ille, meus.'

Corruptela pessima, quae sine dubio in codd. v. 68 memoria ,simium' latet, viros doctos nimis sollicitavit. Quorum commenta non percensebo, modo singulorum singulas coniecturas mihi affere liceat. Domitius intellegebat animal istud, quod Graeci πίθηκον vocant, alii ,Samium' restitui malebant, Gronovius: ,simili', Marklandus: ,nimium', quod inventum, quamvis sit simplicissimum, adiectivo ,loquaces', simili notione praedito, prorsus repudiatur; accedit, quod verba, quae sequuntur, ,salibusque protervum' aliquid lepidius et scitius videntur desiderare, id quod Baehrensius immoderata litterarum mutatione elicere conatus est; ,vafrum' enim in textum recepit. Polstero[1]) denique vox ,simum' (,Stumpfnäschen') arrisit. Quod inventum, licet ingeniose sit excogitatum, in-

---

[1]) Quaest. Stat. part. I pag. 12.

solitam dicendi rationem infert pluribusque difficultatibus laborat.

Equidem v. 68 sic puto a Statio fuisse compositum:

,Infantem, lingua **eximium** salibusque protervum
Dilexi.'

Qua emendandi ratione vocem ,loquaces' iteratam esse ne arbitreris. Poeta enim delicati istius Aegyptii, quem suo ipsius puero in animo opponit, non solum loquacitatem conviciorumque studium arguit, sed etiam linguae facultatem et salium acumen effert, quippe quibus famuli Aegyptii in fama et pretio apud veteres Romanos merito fuerint.

Emendationem sententiamque meam confirmat alter Silvarum locus simillimus II 1, 72 seqq:

,Non te barbaricae versabat turbo catastae,
Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans
Compositosque sales meditataque verba locutus.'

Verg. Aen. XI 338:

,Largus opum et lingua melior, sed frigida bello
Dextera.'

Usum autem vocis ,eximius' docent et Silv. II 6, 97:

,Eximius licet ille animi meritusque doleri;'

et Verg. Georg. IV 538:

,Quattuor eximios praestanti corpore tauros
Delige;'

Lucan. III 697 et Plin. Hist. nat. VII 12 (10):

,Eximios forma pueros vendidit.'

Guilelmus Waller
de vita sua.

Natus sum a. d. III Non. Jan. MDCCCLIX in vico regionis Bythomiensis Silesiae superioris, cui nomen est Miechowitz, ex parentibus Paulo et Rosalia gentis Bontzekianae, quos adhuc vivos esse gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Postquam elementa in ludo publico didici, puer XII annorum gymnasium Bythomiense frequentare coepi, cui Dr. phil. W. C. Kayser tum praeerat. Hunc quosque habuit successores Drr. phil. H. Wentzel et C. Bruell nec minus C. Floeckner, theol. Dr. et Prof., et Dr. phil. E. Heuer, viros doctissimos, grata pietate prosecutus, postquam aestate a. h. s. LXXX maturitatis testimonium impetravi, hanc almam matrem Viadrinam adii, ut studiis operam darem philologicis. Hermanno A. Schwanert rectore magnifico, Carolo Weinhold philosophorum facultatis decano in civium academicorum numerum receptus per octo semestria scholis interfui philologicis, philosophicis, historicis, geographicis vv. ill. Baeumker, Caro, Dilthey, Dove, Hertz, Niese, Partsch, Reifferscheid, Rossbach, Weber, Weinhold. Seminarii regii philologici sodalis fui per annum extraordinarius, per duo semestria ordinarius eorumque per unum sodalis maximi munere functus sum. Praeterea seminarii germanici exercitationes, quibus praeerat v. cl. C. Weinhold, per duo semestria frequentavi.

Praeceptoribus omnibus, qui variis beneficiis me devinxerint, gratias ago quam maximas eorumque memoriam pio semper gratoque animo complectar.

Sententiae controversae.

I.

Dionys. Halic. Antiqq. Rom. I 15: ταύτην (sc. λίμνην) ..... περιείρξαντες κύκλῳ στέμμασι τοῦ μηδένα τῷ νάματι πελάζειν ἄβατον φυλάττουσιν· vocem στέμμασι verissimam minimeque mutandam esse contra Smitium contendo.

II.

Ibid. III 7 librorum memoria: μακρῷ δέ τινι τῶν ἐξ ἀνθρωπίνου λογισμοῦ καταλαμβανομένων χαλεπῶν τὰ δαιμόνια σημεῖα .... χαλεπώτερα γινόμενα πολλὴν δυσθυμίαν παρεῖχέ μοι καὶ ἀμηχανίαν non est, cur mutetur.

III.

Ibid. III 14 verba corrupta: τεκμαίρομαι γάρ τινας καὶ παρ' ὑμῖν ἐχρῆν μὲν πολλοῖς εἶναι τῶν ἀντιποιουμένων ἀρετῆς, ὥσπερ καὶ παρ' Ἀλβανοῖς sic emendaverim: τ. γάρ τινας καὶ παρ' ὑμῖν — ἐχρῆν μὴν πολλούς — εἶναι.

IV.

Ibid. XI 5 hunc verborum ordinem scriptori vindico: καὶ εἰ τοῦτο μανεὶς ὁ δῆμος ὑπομείνῃ (vel ὑπομενεῖ), ὅτι πάλιν τὴν αὐτὴν κατάστασιν ἔχετε, καὶ εἰ δίκαια ταῦτα δόξωσι, κωλύετε λέγειν, ὁπόσα βούλεταί τις ὑπὲρ τῆς πατρίδος.

V.

Tacit. Annal. I 20 legi malim: ‚Quippe Rufus diu manipularis .... antiquam duramque militiam revocabat, nimius (intus cod. M) operis ac laboris et eo immitior, quia toleraverat.'

VI.

Ibid. I 41: ‚Quod tam triste? feminas inlustres ...... nihil imperatoriae uxoris aut comitatus soliti: pergere ad Treveros et externae fidei;' post nomen ‚Treveros' vocem ‚socios' insero.